

Interim, hoc est, constitutio
prescribens qua ratione Sacrosancti
imperii romani status in negotio
religionis usque ad decisionem concilij
Tridentini, sese mutuo gerere ac
excipere debeant, in nunc ha

1548

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

pre possidet Joh: Pet: Goth. s.

Kyrolus
Kath
SPHINGX
AVGVST
NA. (h)

INTERIM

Constitutiones cum Antichristo.

HOC EST, Sponsa Diaboli

CONSTITVTIO Liber Interi- prescribens quare ratione Sacrosancti Im- tus.

perij Romani Status in negotio Religio infausse Ch
nis vsque ad decisionem Concilij Tri- rae et apoc
dentini, sese mutuò gerere ac excipere fi Interim
debeant, in nunc habito Augu china

sta conuentu xv. Maij à

Cæs. M. publicata.

I. Puff. Theologia
est magna
Sententiarum
II. Theologi
Puff. C
Sententiarum
orum



Interimisticu
liber est in. et
tina papistar
Theologia.

A. moruz.

II. Publicationis monasteriorum, stationariorum, in
ANTVERPIAE, catonum indulgentiarum
Excudebat Martinus Nutius, cum gratia et priuilegio
legio Cæs. Maiest. ad biennium, dato Bru
xelle, xx. die Iunij, et subsignato
à Verreyken. 1548

41
957

valit marca. i. est. hoc liber...



QUANTUM SACRA Cæ
sarea Maiestas ab initio
sui regiminis nihil magis
in votis habuit, quã vt ea
tractarentur & promo-
uerentur, quæ vniuerso
orbi Christiano, & in primis sacro Impe-
rio Germanicæ nationis, tanquã dilectę
patriæ suę, ad honorem, vtilitatem, ac fe-
licẽ statũ ipsius, conseruãdamq; sub alis
& felici Maiest. suæ administratione, om-
nium ordinum pacem, concordiam &
tranquillitatẽ vlllo modo conducere pos-
sent: tamen sua Maiest. iam dudum satis
perspicuis indicijs sensit, & re ipsã exper-
ta est, absq; Christiana cõpositione, vel
legitima determinatiõẽ huius exorti per-
niciosissimi controuersæ religionis dissi-
dij, ex quo hactenus omnes discordiæ,
rancores, bella, angustia, & grauamina
statuum processerunt, vllam huiuscemo-
di firmæ pacis, iustitiæ & publicę tran-
quillitatis spem non superesse: Ideo sua
Maiest. antea varijs super ea re institutis
collo

INTERIM.

colloquijs & tractationibus nullum non mouit lapidem, quò exitiale hoc disfidium ad Christianam concordiam, vel saniore[m] intellectum promoueretur.

Verùm cùm in profecutiõe illius operis res ipsa declararet, illud disfidium adeò altas egisse radices, vt iam nõ solùm Germanicam, verùm etiam multas alias Nationes attingeret, omnibusq; eis commune esse cœperit, ita vt visum sit, huic tam graui morbo vlllo alio conuenientiori remedio, q̃ per viam vniuersalis catholici Concilij, subueniri nõ posse: impetrauit tandem ad preces Statuum sua Maiest. post multas in ea re habitas tractationes q̃ generale Cõciliũ in Germanica natione Tridenti cõuocatũ & celebrari cœptum sit. Quapropter & horum Comitiorum initio cũ Statibus ita egit, eosq; permouit, vt insequentes sanctorum patrum maiorumq; nostrorũ vestigia, qui in negocijs fidei semper ad sacra Concilia recurrere, eisdemq; obtẽperare soliti fuere, in adhæsionem & submissionem

INTERIM.

huius Concilij cōmuniter consenserint, ac vltius suæ Maieft. liberum permiserint, de Christianis ac cōuenientibus medijs cogitare, quibus medio tēpore usq; ad finem ac determinationem Concilij omnes Status piè & pacificè simul viuere & habitare queant, ita vt nemo cōtra ius ac æquitatem grauetur. Et sicut sua Maieft. tunc temporis huiusmodi Statuum consensum ac remissionē clementissimo animo suscepit, ita & nunc non minus suscipit.

De negotio verò ipso remissionis, tanquā per se grauissimo, sua Maieft. hactenus paterno affectu fideliter & cum summa diligentia deliberauit, Statuumq; sententias (sicut ipsimet sciunt) exquisiuit: req; perpenſa, nō sine dolore animi percepit, quā immensa incommoda huic inçlytæ nationi hactenus ex prædicto dissidio fuerint illata: quæ calamitas & perniciēs ex eodem impendat, ita vt inçuitabilis necessitas expostulet pro constitutione ac conseruatione firmæ pacis, iustitiæ, vnitate,

INTERIM.

tis, ac pro tollendis discordiarum semini-
bus, hanc rem vsq; ad progressum & de-
terminationem generalis Cōcilij, non in
presenti statu & cōfusione, quasi suspen-
sam reliquere, sed potius ad maiore Chri-
stianam concordiam, moderationem, ac
saniorē & propiore intellectum re-
ducere, varijsq; ingruentibus contrarijs
opinionibus amplius non conuiere, vel
cōmittere vt per eas publica pax amplius
turbetur & impediatur.

Dū igitur Maieft. sua in hoc tota est
occupata, peropportunè contigit, quòd
quidā viri magni status & nominis, pro-
culdubio bono quodam zelo erga Chri-
stianā concordiam, pacem & tranquilli-
tatem, & ex vero erga patriam amore, ad
iunctum hoc consilium & sententiam ip-
forum suæ Maieft. proposuere, exactius
discutiendam tradidere, seq; diligenter
eam obseruatuos polliciti sunt.

Id consiliū sua Maieft. nonnullis egre-
gijs sacræ scripturæ peritis, ac probatis
doctoribus, vidēdum commisit: ex quo-

INTERIM.

rum relatione animaduersum est, id si in recto Christiano sensu intelligatur, à nostra vera Catholica religione & ecclesiasticis doctrinis, statutis & ordinationibus, exceptis duobus articulis, Communionem sub utraq; specie, & matrimonio sacerdotum concernentibus, nõ abhorre: sed ad promouendam ac impetrandam pleniorẽ controuersæ religionis Christianæ concordiam, conseruandamq; in sacro Imperio publicã pacem & tranquillitatem, conducere, quemadmodũ & adhuc Maiest. suæ, attenta qualitate horum temporũ, ita videtur: nihilq; magis in votis est, quàm vt omnes ordines sub ipsius Casareo regimine, sicut ex officio hoc suæ Maiest. incumbit, in religione concorditer et pacificè simul uiuant ac conueniant.

Itaque Maiest. sua communes Status, qui hæctenus ordinationes & statuta uniuersalis ecclesiæ obseruârũt, requirit, clementer petens, vt & in posterum ea obseruèt, constanter in ijs permaneant, per
seue

INTERIM.

seuerent, nec desciscant, vel quicquam
 immutent, quod se facturos esse constan-
 ter asseruerunt. Reliquos verò Status, qui
 innouationem instituerunt, pari modo
 Maiest. sua cleméter et seriò requirit, vt
 vel communibus Statibus sese rursus con-
 iungant, & cum illis in obseruatione sta-
 tutorum ac cæremoniarum vniuersalis
 ecclesiæ Catholicæ consentiant: vel saltē
 in doctrina sua & ecclesiasticis ordinatio-
 nibus cum prædicto cōsilio sese omnino
 cōformēt, nec vltra illud quicquam in-
 stituant, vel attentent. Et casu quo vlte-
 rius se intromississent, per omnia sese præ-
 fato consilio & confessioni conforment,
 firmiterq; in eo permaneant. Et vt om-
 nes Status, ad promotionem publicæ pa-
 cis, quietis, & vnionis, prædictum scri-
 ptum pro nunc tolerant, neque illud im-
 pugnent, aut contra illud doceant, scri-
 bant, aut cōcionentur: sed omnes Status
 vniuersalis Concilij declarationem atq;
 determinationem patienter & obedien-
 ter expectent.

INTERIM:

Nihilominus Maieſt. ſua omnem diligentiã adhibebit, nihilq; intẽtatum relinquet, quò Concilium vniuerſale iuxta Statuum requiſitionẽ quàm primum celebretur, & Germanica Natio à præſenti Schiſmate penitus liberetur.

Similiter & Maieſt. ſua iam tota in eo eſt occupata, vt Catholica quædam Reformatio cõcipiatur, in præſentibus quoq; Comitijſ iſſis Statibus publicanda: de qua ſperandum ſit, iſſam vſque ad determinationem sæpe dicti Concilij, ad tollendos abuſus & ſcandala, atq; ad plantationem & conſervationẽ Catholicæ diſciplinæ, rationis viuendi & virtutũ, non parum frugiferam eſſe futuram.

Et quum in ſepe nominato Cõcilio, ſub rubrica de Caremonijs, inter alia cõtineatur, ſi quid in illis ſucceuerit, ex quo ſuperſtitio oriri poſſet, vt illud tollatur, &cæt. Reſeruat ſua Maieſt. ſibi in eo & alijs articulis, vbi & in quantũ opus fuerit, nunc vel deinceps omni tempore poteſtatẽ conuenienter ſtatuedi ac diſponen

INTERIM.

sponendi. Quicquid enim sua Maiest. ad
promouendam Dei gloriam, ad compo-
nendam controuersiam Religionem, con-
seruandam firmam pacem, Iustitiam &
tranquillitatem in sacro Imperio Germa-
nicæ Nationis, denique ad vtilitatem et
commodum communium statu-
um suscipere, instituere, effice-
re et promouere poterit, in
eo sese iuxta officiũ su-
um Imperiale cum
omni clementia
exhibet prom-
ptissimam.

DE

DE CONDITIONE hominis ante lapsum.

Gene. 1.



Eus creauit initio hominē
ad imaginē & similitudinē
suam eumq; gratia ornauit,
& fecit per originalē iusti-
tiam, ut esset omnibus cum
corporis, tum animi uiribus
rectus, nec ageretur ullis
turbidis et prauis motibus:
sed in eo caro spiritui, atq; inferiores animi uires su-
perioribus, quæ tantum ad bonum hortabantur, pa-
rèrent.

Ecc. 15.

Cum igitur animus hominis tam bene constitutus
esset, reliquit eum Deus in manu consilij sui usq; eò,
ut non minorem haberet uim ad eligendum bonum,
quàm malum.

Quòd si hac libertate sua usus fuisset recte, &
mādatis quæ ipsi Deus dederat, obedisset: bona quæ
acceperat homo, atq; iustitiam sibi & omni posteri-
tati suæ conseruasset, nihilq; ei ac posteritati ipsius
defuisset ad bene beateq; uiuendum: non fames, non
sitis, non frigus, non æstus, nō dolor, nō morbus, non
mors eum afflixisset: omne deniq; peccatum atq; ui-
tium uitasset: nec ab illis, tāquā peccatorum stipen-
dijs, periculū ei ullum posterisq; illius allatū fuisset.

De

INTERIM.

De conditione hominis lapsi.

Verum postquam primus parens noster contra, Rom. 5.
 quam mandauerat Deus, fecit: incidit in poenam à
 Deo propositam, & iustitiæ originalis donum pul-
 cherrimū amisit: hinc carentia iustitiæ huius, unā cū
 uitioso concupiscētiae habitu, quæ spiritui & supe Ephc. 2
 rioribus animi uiribus perpetuò repugnat. Quod
 peccatū (hoc est, priuationē illius iustitiæ, qua par-
 te rationem subditam reddebat Deo) unā cum cons-
 cupiscentia in omnem posteritatem suam propaga-
 uit, ut cum eo omnes, quot quot in hanc lucem edun-
 tur, homines nascantur: nec eo uacuuus sit ullus, nec
 unius quidem diei infans, secundum scripturas. Iob 25.

Hinc illud naturæ nostræ uulnus ut animalis ho- I. Cor. 5.
 mo non percipiat quæ sunt spiritus, nec eadem ante
 gratiam expetat atq; libere eligat: cū concupiscen-
 tiæ & affectus carnis, qui in eo dominatur, inimici- Rom. 5.
 tia sit aduersus Deū, & à lege Dei abhorreat: tan-
 toq; magis impediatur in bono, quanto magis ad malū
 impellit.

Et quanquā retinet homo talis libertatem arbi-
 trij, licet infirmam et læsam, ex qua tāquā fonte pro-
 fluunt & uirtutes morales ethnicorum, et harū a-
 ctiones: tamē ante gratiam Dei et reparationem, ad
 iustitiam quæ coram Deo ualeat, aspirare haud po-
 test: sed est potius seruus peccati, satanæ mācipium,
 inimicus Dei, et malis huius mundi obnoxius: premi-
 tur

INTERIM.

Rom. 5.

tur enim fame, siti, frigore, aestu, dolore, morbo, et ad extremum morte ipsa euertitur. per unum enim hominem peccatum in hunc mundum introiuit, et per peccatum mors. Hæ autem istius primæ præuercationis pœnæ, renatis cum peccatoribus communes sunt. Illis tamen à Deo etiam ad exercitium adhibetur: iniustis uerò & impijs infliguntur ad pœnã.

Ephes. 2.

Adde huc quòd in homine tali, quem peccatum originale deprauauit, quoad natura tantum constat, nec per gratiam instauratur, regnat unã cum concupiscentia praua etiam satan, qui eum uinculis seruitutis suæ constrictum tenet, in eoq; operatur, ut cõuersetur in desiderijs suis, faciens uoluntatẽ carnis et cogitationũ, ac originale quod à parentibus traxit peccatum actualibus cumulet, sitq; filius iræ, secundum Apostolum, ut si in hac miserima condicione sua moriatur, iusto tandem Dei iudicio in gehennã coniectus, æternis ibi supplicijs plectatur, ut nec

Esaia 66.

ignis eius (ut apud Esaiam scriptum est) extinguatur, nec uermis moriatur.

De redemptione per Christum
dominum nostrum.

Iohan. 3.

Deus igitur, qui diues est in misericordia, nolens perire quos condiderat, filium suum misit in mundum, ut cū impossibile esset homini, seipsum liberare, in domino hoc nostro atq; saluatore haberet redemp-

Rom. 3.

tionem per sanguinem eius, ut scriptum est apud Apo

Apostolum.

Posuit enim Deus super eū iniquitates nostras, *Ephē. 1.*
 ut in corpore suo peccata ferret in cruce, affigens
 ea in ligno. Hic cum innocens pro nobis peccatoribus *Esaie 53.*
 pateretur atq; satisfaceret, redemit quidē nos,
 & Deum patrem ita placavit, ut idem pater miser
 ros nos et peccatis inquinatos, ob sanguinem ipsius *I. Pet. 2.*
 absolueret, ac sibi reconciliaret. Verē enim (inquit
 Paulus) erat Deus in Christo, mundum reconciliās *2. Cor. 3.*
 sibi, non reputans illis delicta ipsorum.

Et quanquam Deus gratuito & propter nomen
 suum propicius est nobis, & iniquitates nostras de- *Rom. 3.*
 let propter se, tamen ne sine ullo satisfactionis pre-
 cio peccata remitteret, ad ostensionem iustitiæ suæ
 pro incomprehensibili sapientia & immensa boni-
 tate sua, iustitiam cum misericordia miscuit, & uo-
 luit, ut precium pro redimendis nobis filij sui sangui-
 ne constitueretur, ut quas nos peccatores dare de-
 beremus poenas, easdem agnus ille innocentissimus
 perferret in cruce, nosq; e uulneribus ipsius, quod
 nobis miseris deesset, redemptionis precium mutua-
 ri, & ad liberationem salutemq; nostram usurpare
 possemus, ut cum misereatur nostri benignissimus pa-
 ter gratuito, non tamen misereatur nisi interueniens
 te sanguine filij sui: ut quod nobis hic gratis contin-
 git, id tamen merito ac iustitiæ Christi acceptum
 ferre debeamus, ut quicumq; gloriatur, in hoc domi *I. Cor. 1.*
 no re

INTERIM.

no redemptore & saluatore nostro gloriatur.

De iustificatione.

Iam qui precioso sanguine Christi redimitur, & cui meritū passionis Christi applicatur, continuò is iustificatur: hoc est, inuenit remissionem peccatorū suorum à reatu eterne damnationis absoluitur, & releuatur per spiritum sanctum, atq; ita ex iniusto fit iustus. Nam Deus quando iustificat non humano tantum more agit cum homine, ut ei ignoscat dumtaxat, peccatum donet, & reum absoluat, sed facit etiam meliorem: id quod homines attribuere nec solent, neq; possunt. Communicat namq; cum illo de spiritu suo sancto, qui purificat cor eius, & per charitatem in eodem corde diffusam incitat, ut quod bonum ac iustum est, expetat: & expetitum, opere ipso persequatur.

Psal. 50.

I. Cor. 6.

Mat. 5.

Hæc est uera illa iustitiæ in hærentis ratio, quam desiderabat Dauid, cum hanc emitteret uocem: Cor mundum crea in me Deus, & spiritū rectū innoua in uisceribus meis, de hac Apostolus scribit: Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis & cū inquit: Deū secundū suā misericordiā nos saluos fecisse per lauacrū regenerationis & renouatiōis spiritus sancti, quē effudit in nos abundāter per Iesum Christū saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæc redes simus secundum spem uitæ eterne.

Quinquā autem iustitia hæc, quæ è fonte legis
spiri

INTERIM.

Spiritus profluit, longè est abundantior, quàm fuit Galat. 5.
 scribarum atq; phariseorum iustitia: tanè in ijs qui Roma. 7.
 hac præditi sunt, nihilominus cõcupiscentia repu- I. Ioan. 1.
 gnat spirtui quoad hic uiuitur. Eò fit, ut ijdè illi mē
 te quidem seruiāt legi Dei, carne autem legi pecca
 ti, & sine peccato non uiuant.

Cum igitur homo plenam iustitiæ inherētis per I. Cor. 10.
 fectionem, quoad in hac terra uiuit, non consequatur: certè Christus, qui factus est nobis sapientia,
 iustitia, sanctificatio, & redemptio à Deo, nobis in
 hac etiam parte benignissimè succurrit, quatenus et
 per communicationem iustitiæ suæ, iustitiã homi-
 nis de illa participantis inherētem ut efficit, ita au-
 get, ut de die in diē renouetur, donec in æterna pa-
 tria plenè perficiatur, & per meritū sanguinis sui
 preciosi atq; iustitiã, quã cõstituit perfectissimã,
 impetrat homini indulgentiã: ut quod homo per in- Aug. cons
 firmitatē suã minus potest, id per ipsius Christi per tra Faustū
 fectionem recuperetur ac condonetur. Hinc illa Io- lib. 19. ca. 7.
 hānis consolatio: Filioli, hæc scribo uobis, ut nō pec-
 cetis. sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus
 apud patrem Iesum Christum iustū, et ipse est pro-
 piciatio pro peccatis nostris.

Concurrunt quidem Christi meritum, et iustitia
 inherēns, ad quam renouamur per donum charita-
 tis: inherēns, ut ex ea piè, iustè ac sobriè uiuamus in
 hoc seculo, expectantes beatam spem et aduentum
 glo

INTERIM.

glorie magni Dei & saluatoris nostri. Sed meritum
 Aug. li. 19. Christi, ut sit iustitiæ nostræ inherētis causa, & ut
 cap. 7. con cū in multis labamur omnes, ac propter infirmitatē
 tra Faust. imperfectionemq; nostram multa occurrāt, quæ ani-
 mos nostros turbare, & desperationem sollicitare
 Gal. 3. possint, in eodē merito & precioso Christi sangui-
 Rom. 8. ne respiremus, ac inueniamus quo ad spem salutis fir-
 missimē niti ualeamus. Nam in Christo Iesu domino
 redemptore, & saluatore nostro quē induūt pij, &
 cum quo donantur eis omnia secundū Apostolū, om-
 nia nobis sunt firmissima, solidissima, & perfectissi-
 ma, ut eisdem ipsis ad spem uiuam rectē fulciamur.

De utilitate et fructibus iustificationis.

Habent quidem iustificati pacem ad Deum per
 dominum nostrum Iesum Christum: eis nanq; Deus
 Roma. 5. est placatus, misericors & propicius, ut sperare pos-
 sint, si, cū inimici essent, Deus reconciliauerit sibi
 ipsos per mortem filij, multo magis futurum esse, ut
 reconciliati saluentur, ut uerbis Apostoli, quæ con-
 solationis plenissima sunt, ut amur.

Item qui iustificantur, ijdem etiam adoptantur
 Deo filij, ut heredes sint patris æterni in cœlis, co-
 Roma. 8. heredes autē Christi, autore Paulo, & iam habeant
 ius ad eundē hereditatis illius, quæ est uita æterna.

De modo per quem homo iustificatio-
 nem accipit.

Etsi

INTERIM.

Et si Deus non ex operibus iustitiæ, quæ fecit homo, sed secundum suam misericordiam iustificat eum, Rom. 3.
 idq; gratis, hoc est, sine merito eius, ut si gloriari uelit, in Christo tantum gloriatur, cuius solius merito I. Cor. I.
 redimitur à crimine, & iustificatur: tamen Deus misericors non agit hic cum homine, ut cum trunco, sed trahit eum uolentem, si adultus sit. talis enim non accipit beneficia illa Christi, nisi præueniente gratia Dei, mens eius atque uoluntas moueatur ad detestationem peccati. Nam cum peccatum separet inter Deum & nos, ut Esaias inquit, nemo ad thronum gratiæ & misericordiæ accedere potest, nisi qui prius per pœnitentiam ab eodem peccato fuerit auersus. Itaque Ioannes cum præpararet uiam domino, dixit: Agite pœnitentiam, appropinquat enim regnum cœlorum. Mar. I.

Mox eadem gratia diuina mouet mentem in Deum per Christum, ut hic modus est fidei, per quam homo sine hæsitatione credens, scripturis sanctis & promissionibus quas eadem afferunt, assentitur. Christus enim ipse, cum primò exegisset pœnitentiam, mox fidem talem requirit, inquit: Quoniam impletum est tempus, & appropinquat regnum Dei, agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Mar. I.

Qui ita credit, & à diuinæ iustitiæ timore, quo utiliter cõcutitur ad considerandam misericordiam Dei & redemptionem per sanguinem Christi, est

INTERIM.

Rom. 4. conuersus: hic erigitur, & mouente gratia dei, concipit fiduciam atq; spem, ut credat præter spem meriti sui, in spe misericordiæ promissæ, tribuens gloriã deo: atque ita perducitur ad charitatem.

Tali in Deum fide, quicumque misericordiæ diuinæ ac Christi merito nititur, seq; eisdem committit, accipit promissionem spiritus, & sic iustificatur per fidem in Deum, secundum scripturam, ut ei non solum remittatur peccatum, sed idem etiam sanctificetur & renouetur per spiritum sanctum: ea namq; fides impetrat donum spiritus sancti, quo diffunditur charitas in cordibus nostris. Quæ quatenus ad fidem & spem accedit, eatenus per iustitiam inherentem uerè iustificamur. Hæc enim iustitia, fide, spe ac charitate ita constat, ut si aliquam harum iustitiarum huic subtraxeris, eandem ipsam mancam planè reliqueris.

De charitate & bonis operibus.

Psal. 1. Charitas autem, quæ est finis præcepti & plenitudo legis, simul ac iustificationem ingreditur, fecunda est, iamq; omnium bonorum operum semina intra se ipsam includit: quæ ut parata est ferre bonos iustitiæ fructus, ita fert eos in iustificatos quàm primùm, & quoties debet, eiq; operandi facultas impedimento aliquo non adimitur. Itaq; fides, quæ per dilectionem non operatur, non uidetur uiua, sed sterilis potius ac mortua, autore Iacobo, **Iaco. 2.**

bet

INTERIM.

bet fide præditus, si ei desit charitas, manet in morte, ut Ioannes testatur, cum præsertim charitas iam esse debeat pars uitæ æternæ in nobis inchoatæ, & tãdem per glorificationem perficiendæ. Quanquam enim fides & spes desinent, cum migrauerimus in illa æterna tabernacula, charitas tamen manebit, & in eadem ipsa introibit, ut secundum eam beatissimè uiuere, ac Deo, qui tum nobis erit omnia, sempiterno euo frui possimus. Est tamen fides nihilominus uera, qua Christiani ab infidelibus discernuntur, quas tenus scripturis & reuelatis à Deo assentiuntur, et si eadem à charitate disiuncta sit.

I. Cor. 13.

Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto magis in nobis augetur, tãto magis uetustas carnis nostræ imminuitur, quæ manant tanquam è fonte bona opera, ad salutem cuiusq; iustificati tam necessaria sunt, ut qui ea non fecerit continuo, gratiam Dei amittat, & tanquam palmes inutilis excindatur à Christo, & in ignem proijciatur, ut Christus ipse in euangelio suo docet.

Ioan. 15.

Mat. 7.

Et quanquam opera hæc talia sunt, ut Deus iure quodam suo ea à nobis exigere possit, & sancti, etiã si omnia quæ ex eis præcepta sunt, fecerint, & agnoscere & dicere debeãt se esse inutiles seruos: tamen cum ex charitate Dei profuãt, & gratiæ Dei effectus sint, ac quia Deus secundũ suam uoluntatem operantibus mercedem liberalissimè promisit, eadem

INTERIM.

1. Cor. 15. & temporalium bonorum, & aeternae uitae remuneratione dignatur, secundum Apostoli testimonium, inquentis, Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor uester nō est inanis in domino. Nō enim est iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius.

Hebr. 6.

Ac iustificati iam ut serui facti iustitiae, membra sua exhibentes serua iustitiae ad sanctificationem, cooperate gratia, bonis operibus abundant: & quanto magis eisdem abundant, tanto maiora iustitiae incrementa ipsis adiunguntur, ut qui iusti sunt, iustiores fiant. Ne uerearis, inquit scriptura, iustificari ad

Ioan. 15.

mortem, itē, Qui iustus est, iustificetur adhuc. & Qui in CHRISTO fructuosus est, repurgetur à patre caelesti, ut fructum copiosorem ferat, ut Christus ipse docet. Et haec est illa ex operibus iustificatio, de qua Iacobus frater domini.

Iaco. 2.

Quod reliquum est, etsi opera à Deo mandata, ut necessaria ad salutem, sunt praecipue urgenda, iuxta illud Christi: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata:

Mat. 19.

quae tamē praecipis superaddita aut pie aut honeste suscipiuntur, ipsa etiam comendanda sunt, ne à spiritu sancto multa horum in scripturis sanctis commendante, discrepemus: Alias relinquere aut uendere omnia, & sequi dominum. Item seruare uirginitatem aut continentiam, bonum & utile non esset. Quinimo Dauid, cum saltaret ante arcam, iure fuisse

INTERIM.

fuiſſet irriſus à Michol: item PAVLVS fruſtrā 2. Reg. 6.
remiſſiſſet ſalarium ijs, quibus uerbum Dei prædi- I. Cor. 9.
cauerat.

Breuitè, diſcernenda ſunt opera ſupereroga-
tionis, quæ ſupra præceptum (ut uerbo Chryſoſto-
mi utamur) fiunt, ab ijs quæ contrà fiunt. Hæc enim
Chriſtus ipſe damnat, ut fermentum phariſæorum:
at illa ſpiritus ſanctus, in ſcripturis loquens, commen-
dat, inquitens: Voluntaria oris mei beneplacita fac
domine. Pſal. 118.

De fiducia remiſſionis peccatorum.

Hic cauendum eſt, ne aut homines faciamus ſecu-
ros nimis, ſibiq; fidentes, aut anxia dubitatione in
deſperationem impellamus. Itaq; cùm Paulus dicat,
ſe quidem nullius peccati conſcium, ſed in hoc tamẽ
non iuſtificatum eſſe: homo non poteſt ſine dubita-
tione propriæ infirmitatis aut indiſpoſitionis, cre-
dere ſibi peccata remiſſa eſſe. Sed tametiſi non de-
bet ſe in ſeipſo iactare, non ita tamen terrendus eſt,
ut de promiſſis Dei, deq; mortis & reſurrectionis
Chriſti efficacia dubitet, & deſperet ſe remiſſionẽ
peccatorum & ſalutẽ conſequi poſſe: quin ei omnis
ſpes & totius fiduciæ certitudo eſſe debet in præ-
cioſo ſanguine Chriſti, qui effuſus eſt propter nos,
& propter noſtrã ſalutem, in quo ipſo reſpirare nos
atque cõfidere & poſſumus certò & debemus, con-

INTERIM:

firmante nos spiritu sancto, qui dat testimonium spiritui nostro, quod simus filij Dei.

De Ecclesia

Nunc de Ecclesia, quæ est uniuerſitas Christi fidelium, agendum uidetur, in quam spiritus sanctus ita contrahit ac iungit renatos atq; Christianos, ut sint una domus, unum corpus ab uno baptismo & una fide, quæ (autore Paulo) una est in omnibus Christianis. Itaq; necesse est, uitam Christianorū, ut ad perfectum finem, quò tendit Ecclesia, perueniatur, bonā esse ac piā: nemo tamen sibi ipsi persuadeat, ullā uitæ probitatem sibi profuturam esse, nisi se huic fidelium unitati & communioni iūxerit atq; accommodauerit. Sit igitur Ecclesia domus Dei uiuentis & corpus illud, cuius caput est Christus: multi enim unum corpus sumus in Christo, inquit Paulus. Pro hac Ecclesia idem dominus noster Iesus Christus se tradidit, ut eam sanctificaret, mūdans ipsam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Ac cū Ecclesia unica sit illa columba & corpus unum, certè ut hanc solam spiritu suo sanctificat & fouet Christus, ita extra eam bona gratiæ suæ tribuit nemini. Qui igitur in communionem huius corporis non est, nihil magis spiritu sancto uiuificatur ad salutem

etera

Eph. 5.

INTERIM.

æternam, quàm ullum membrum naturale à corpore
 suo abscissum atque auulsum ad uitam naturalem, eò
 quòd spiritu uitali ab uno suo capite defluente, non
 amplius uegetatur. Itaque credendum est, neminem
 extra Ecclesiam Christianam & communionem
 eius spiritualem, uitã æternam consequi posse. Com-
 munionis autem huius eam esse rationem, ut cum spi-
 ritus Christi ab eo ut capite delabatur in corpus
 suum, hoc est, Ecclesiam & omnia mēbra eius per-
 meet, singula membra percipiant ex eo, quantum
 sibi satis sit ad salutem: & quod singulis bonum con-
 tingit, id omnibus commodare, atque adeò uniuersi-
 tati ipsi consulere. Nam (ut ait Apostolus) crescunt
 membra in charitate per omnia in illo, qui est caput
 Christus, ex quo totum corpus compactum & con-
 nexum per omnem iuncturam subministrationis, se-
 cundum operationem uniuscuiusque membri, au-
 gmētum corporis facit in ædificationem sui in cha-
 ritate. In tali coniunctione, atque societate homi-
 num est summa coniunctio, dum membra pro se inui-
 cem sollicita sunt. Et siue patitur membrum unum,
 compatiuntur omnia membra: siue gaudet unū mem-
 brum, congaudent omnia membra.

Ephē. 4.

I. Cor. 12.

Et quanquam Ecclesia, quatenus cōstat membris
 talibus, quæ secundum charitatem uiuunt, sancto-
 rum est tantum, & eatenus spiritualis & inuisibi-
 lis: eadē tamen etiã sensibilis est, qualē Christus ipse

INTERIM:

Mat. 18. monstrat, inquiens: Dic Ecclesiæ. Ad hanc eandem pertinent Episcopi, qui regunt populum, quem Christus sanguine suo acquisiuit. Pertinent alij item ministri. Dedit nanque Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uerò Euangelistas, alios pastores & doctores. Ad hanc eandem Ecclesiam pertinet uerbum Dei, quod in aures in-
Eph. 4. fluit: pertinent Sacramenta, pertinent clauæ ligandi atque soluendi, pertinet potestas coërcendi per excommunicationem, pertinet ius ordinandi ministros Ecclesiæ, pertinent uocationes ad munera Ecclesiastica, pertinet deniq; ius sancienti Canones.

Debent autem quæ ad sensibilem & externam Ecclesiæ partem pertinent, seruire ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Iam in Ecclesia non solum sancti, sed etiam mali, ut eius membra, licet arida, uersantur: unde eam Christus modò reti in mare iacto, & tam bonos quàm malos pisces cõprehendeti, modò agro seminato, bonas fruges & zizania simul ferenti, cõparat: nã qui mēbra facti sunt Ecclesiæ per baptismum, recidunt sæpe in crimina, faciuntq; se seruos peccati atq; eternæ dånationis reos. Et quanquam gratiã cõmunionis sanctorum & spiritualis ecclesiæ amittūt, herēt tamē nihilominus in externa Christianorū societate atq; Ecclesia: audiunt uerbū Dei, & Sacramēta capiunt, & alia itē sensibilia cū Ecclesia habent

16.

INTERIM.

habent communia, nisi uel per excommunicationem iustam, uel per Schisma, uel per Hæresim, uel per defectiōem à fide Christiana abscondantur. Misera est quidem conditio eorum, qui ex peccato mortali languent, & à spirituali communione remoti, in periculo æternæ damnationis uersantur. Sed quia tamen eis uerbum Dei audire, & Sacramentis itē uti licet, utiliter hisce tanquam instrumentis diuinæ gratiæ in communionem Sanctorū restitui facilius possunt: præsertim cū in Ecclesia etiam externa spiritus sanctus salutem per uerbum Dei & Sacramenta operetur. Verū Schismatici, Hæretici, & à fide Christiana desciscētes, quia non solum à spirituali, sed etiā externa Ecclesiæ societate seiuncti sunt, quā diu in hoc calamitoso sunt statu, nō habent quo possint iuari ac recreari. Imò tanquā membra à toto Ecclesiæ corpore abscissa, in suam ipsorum perniciem putrescunt, non digni qui in ulla corporis Christi parte consistant, cuius unitatem tam turpiter scindunt atque lacerant. hinc illud Apostoli: Hominem hæreticum post unam & alteram admonitionem deuita, sciens quia subuersus est qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.

De notis & signis Ecclesiæ veræ.

Ac quoniam uarij sunt cœtus humanæ consociationis operæ precium est notas & signa, quibus Ecclesia ab alijs societatibus humanis discernatur, nosse:

INTERIM.

eum præsertim, qui ab Ecclesia uera deficiunt, Schi-
 smatici atq; hæretici cõstituant suos cõetus, eisq; au-
 thoritatem & nomen ecclesie adiungere non dubi-
 tent, & alij eorum alio in loco Christum esse dicãt:
 Mat. 24. à quibus ut caueamus nobis, Christus ipse monet.
 2. Tim. 2. Sũt igitur signa Ecclesie ueræ, hoc est, magnæ illius
 domus, in qua non solum sunt uasa aurea & argen-
 tea, sed & lignea & fictilia, & quedam in hono-
 rem, quedam in contumeliam: doctrinã sana, & re-
 ctus Sacramentorum usus, quibus ab Ethnicorũ &
 Iudeorũ cõetibus Ecclesia disiungitur: quorũ utriq;
 & sana doctrina, & Sacramētis Noui testamenti cõ-
 rent. Tertiu signũ est unitas, quæ uinculo charitatis
 & pacis continetur, ac mēbra Ecclesie ita cõgluti-
 nat, ut nõ solũ quod perpetuus Sanctorum cõsensus
 ab Apostolis usque ad nos recepit & approbauit,
 idem sentiant, sed etiã idem loquãtur, monēte Apo-
 I. Cor. I. stolo: Obsecro autem uos per nomen Domini nostri
 Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & nõ sint in
 uobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu,
 & in eadem sententiã. Quartũ signum Ecclesie ue-
 ræ est, quòd sit Catholica et uniuersalis, hoc est, per
 omnia loca & tempora diffusa, & per Apostolos
 eorumq; successores cõtinuata usq; ad nos, successio-
 ne propagata usq; ad fines terræ iuxta promissiones
 Dei: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem
 tuã, & possessionẽ tuã terminos terræ. item, Multi
 uenient

INTERIM.

ueniet ab Occidente et Oriente, et recubent cum Abra Mat. 8.
ham, Isaac, & Iacob, in regno caelorum. item, Et erit
tis mihi testes in Hierosolyma, & in omni Iudaea, et Acto. I.
Samaria, & usque ad ultimum terrae. item, Et ego
rogabo patrem, & alium paraclitum dabit uobis, Ioan. 14.
ut maneat uobiscum in aeternum, spiritum ueritatis,
quem mundus non potest accipere.

Hæc duo signa distinguunt Ecclesiam Christia-
nam à Schismaticorum atq; hæreticorum gregibus,
qui uinculum pacis rupunt, & à Catholica unione
seipsos in suam ipsorum perniciem diuellunt, dum
partem suam toti atq; uniuersae Ecclesiae anteferunt.

De authoritate & potestate Ecclesiae.

Et si scriptura, ut Christus inquit, solui non potest, Ioan. 10.
et idcirco immobilis et omni humana authoritate ma-
ior est, tamen fuit penes Ecclesiam authoritas discer-
nendi scripturas ueras ab adulterinis. Hinc est ille
Canon scripturarum, qui germanas à falsis, quæ sub
nomine Apostolorum atq; discipulorum domini ob-
trudebantur, discreuit.

Et ut Ecclesia huius rei authoritatē potestatēq;
habuit semper, sic etiam interpretandi atq; adeo ex
eisdem scripturis eliciendi & explorandi dogmata:
quippe cum huic spiritus sanctus non desit, qui ipsam in
omnem ducat ueritatē, quæ admodum Christus ipse pro-
misit. Hinc illud Petri: Omnis prophetia scripturae, 2. Pet. 1.
propria interpretatiōe non fit, sed spiritu sancto inspi-
rati

INTERIM.

rati locuti sunt sancti Dei homines. atq; hæc interpretandi potestas cum primis necessaria est, in ijs præsertim quæ difficilia sunt intellectu: id quod res ipsa docet.

Habet præterea Ecclesia traditiones, à Christo et Apostolis per manus Episcoporum ad hæc usq; tempora delatas: quas qui conuellit, is negat eandem columnam esse & firmamentum ueritatis. Huius generis sunt baptismus paruulorum & alia.

Mat. 16.
I. Cor. 5.

Constat item, potestatem coercendi atque excommunicandi esse penes Ecclesiam, idq; ex instituto Christi de potestate ligandi. huic consentaneum est illud Apostoli: Tollite malum ex uobis.

Habet item potestatem iurisdicendi. Nam cui cõpetit ius coercendi, & potestas iurisdicendi deesse non potest.

Acto. 15.

Ac si quæstiones dubiæ oriantur in Ecclesia, habet quidem hæc potestatem iudicandi de eisdem atque decernendi, idq; per Synodum. et quod hæc, in spiritu sancto legitime congregata, decernit, spiritus ipse sanctus decernere uidetur, iuxta illud Concilij Hierosolymitani: Visum est spiritui sancto & nobis. Itaq; saluberrimam esse Conciliorum auctoritatem, dubitare debet nemo.

Et quod ex eodem Concilio Hierosolymitano intelligitur, est etiam penes ecclesiam potestas cõstituendi Canones: idq; ad utilitatẽ ecclesie, cuius potestas

INTERIM.

stas omnis est ad ædificationē, et nō ad destructionē.

De ministris ecclesiæ.

Habet Ecclesia doctrinam diuinitus traditã, quæ populo explicanda est. Habet sacra et externa, quæ pie & salubriter ad utilitatem Christianorũ tractãda sunt atq; explicãda, quo minus ministri, qui muneribus ad has res necessarijs funguntur, eidem Ecclesiæ deesse uel possunt uel debet. Ac munera quidem hæc, omnibus Christianis communia non sunt: uerũ deus ipse initio dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios uerò euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Itaq; tempore Apostolorum non omnibus data fuit potestas ad functionem munerum Ecclesiæ, sed certis tantum, ijsq; ad eadem ipsa segregatis. Nam cum Antiochiæ esset Barnabas, Lucius, Manahen et Saulus, ministrantibus illis domino (ut Lucas in actibus Apostolorum scripsit) et ieiunanti Acto. 13. bus, dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Cauendum est igitur nobis, ne spirituale sacerdotium, quod omnibus Christianis, quos spiritus sanctus unxit, cõmune est, cum hoc externo atq; ministeriali, quod non omnium est, sed eorũ tantum qui ad hoc uocati atque ritè ordinati sunt, confundamus: quod sine graui ac perniciofa ecclesiarum perturbatione atque

INTERIM

atque calamitate accidere non potest.

De Pontifice summo & Episcopis.

Atq; ut Ecclesia, quæ est unius capituli, hoc est, Christi unum corpus, eò facilius in unitate contineri posset, etsi multos habet Episcopos, qui populum eius, quem Christus precioso sanguine suo acquisiuit, regant, idq; iure diuino: unū tamen in remedium schismatis, qui cæteris omnibus præsit cū plenitudine potestatis, summū Pōtificē habet, idq; pro prærogatiua Petro concessa: quod ipsum quam utile sit ad auertenda ab Ecclesia schismata, satis constat ijs qui non ignorant, à contemptu huius summi sacerdotis plerūq; schismata orta esse, ut Cyprianus scribit, & res ipsa testatur. Qui igitur Cathedrā Petri tenet summus Pōtifex, eo iure quo Petrus accepit à Christo, dicēte, Pasce oues meas, uniuersam ecclesiā et gubernat, & gubernare debet. Quæ tamen potestate sua uti debet nō ad destructionem, sed ad ædificationem. Hæc autem plenitudinem potestatis sic uidetur Christus Petro, eiusq; successoribus de disse, ut reliquis Episcopis partem sollicitudinis eius commissæ nō abstulerit, sed suarū Ecclesiarū et Diocesisu ueros iure diuino episcopos esse uoluerit. Debet autem Christiani homines & Pontifici summo, & singulis suis etiam Episcopis parere, iuxta illud Apostoli: Obedite præpositis uestris, qui uigilat

Io. an. 21

Hebr. 13.

INTERIM.

pro animabus uestris.

De Sacramentis in genere.

Sacramenta duabus potissimum de causis diuina authoritate instituta sunt. Altera, ut sint signa et nota quaedam magnae illius congregationis, quae est Ecclesia: in nullum enim nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel sacramentorum uisibiliu consortio colligantur. Quamobrem dominus noster Iesus Christus societatem noui populi, sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione praestatis, colligauit, Baptismo uidelicet, Confirmatione, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctione, Ordine, et Matrimonio. Altera uero est, ut non solum significant, sed etiam sanctificent et conferant uisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum uirtute aut merito ministri, sed domini instituentis ac secretius operantis. Itaque; etsi decet bonum esse sacramentorum ministrum, tamen malus etiam potest ea utiliter dispensare.

De Baptismo.

Ac primo quidem, quia homini ad salutem necessarium est, ut regeneretur in nouam creaturam, cum alias natura sit filius irae, instituit Christus ipse sacramentum Baptismi, ut sit lauacrum illius regeneratio nis, quod sane homini non minus est necessarium ad uitam nouam atque spirituale, quam natiuitas carnalis ad ui-

INTERIM.

Ioan. 3. tam naturalem. Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua & spiritu sit renatus, ut Christus ipse testatur. Hoc igitur Sacramentum abluit nos, sanctificat, iustificat: hoc Sacramentum facit, ut cōsequamur remissionem peccatorum nostrorum originalium atq; actualium. Hoc denique Sacramentum tale est omnino, tamq; salutare, ut qui eo initiatur, induat Christum, ut Paulus scribit.

Gal. 3. Constat autem Sacramentum hoc, uerbo Dei & aqua. Nam simul ac uerbum ad elementum accedit, fit Sacramentū, cuius lauacro regeneramur & mundamur ab omni peccato. Itaque quoties aquam corpus abluentem cernimus foris, toties spiritum: quem non cernimus, intus plus operari cogitemus.

Mat. 28. Iam formam uerborum, sine quibus mysterium hoc confici non potest, Christus Apostolis tradidit cum præceperit ut in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptizarent. Huic præcepto domini, quoties Baptismus cōfertur, & fides accipientis, si adultus sit, pro infantibus uerò, cum suscipientium eos et pro ipsis confitentium, tum totius Ecclesiæ fides et fungentis ministri uerbum innititur, quatenus hic ait: Ego te baptizo in nomine patris, et filij, et spiritus sancti.

Ac nobis quidem uidetur, ad excitandam fidem consolationemq; adultorum uehementer pertinere, ut intelligant, qui in nomine patris, & filij, et spiritus

INTERIM.

tus sancti baptizatur, se iā potestate, uirtute et potētia patris, et filij, et spiritus facti, cōsecrari ac sanctificari, seq; totos recōciliari Deo, et iā peculium Dei fieri, qui est pater, & filius, et spiritus sanctus, in cuius tutelam iam trāseunt, seq; fœdere sempiterno cum Deo iungunt, quatenus diabolo eiusq; operibus abrenunciant, promittuntq; se Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizādi attinet, etsi hoc ad sacerdotes maximē pertinet, tamen laicus etiam rectē & utiliter in casu necessitatis baptizare potest: nec si hereticus baptizaret, dummodo debita materiā, forma ac intentione utatur, Sacramētū hoc iterandū est, cū hoc idē nō dignitate ministri, sed ueritate uerbi diuini et spiritus sancti uirtute cōstat.

Quanquā autem Baptismus aufert omnia inquinamenta nostra secundum scripturas, hic tamen non omnem uitiatæ naturæ languorem aufert, ut suprā etiam monuimus. relinquit enim concupiscentiam ad malum inclinantem, reatu ipso sublato. Concupiscentia autem illa cōtra bonum in homine spiritum pugna- Gal. 5.
gnare non desinit, quoad in hac terra uiuimus.

In quo tamen ipsa Baptismi uirtus nobis non deest, ut quæ nō solum peccati omnis reatum semel ademit, sed cōtra concupiscentiam adhuc hærentem in nobis & desideriorum bella cientem, firmat uires nostras per spiritum sanctum, quo ipso ita munimur contra omnem concupiscentiæ uim, ut resistere ei

INTERIM.

Gala. 5. ac prævalere possimus, monente Apostolo: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Hactenus de Baptismo.

De Confirmatione.

Atq; ut homini ad uitam corporis non solum necesse est ut nascatur ac sit, sed etiam ut crescat atq; nutriatur, ita eidem ad salutem nõ solum necesse est regenerari, uerum etiam in bono confirmari, et per uirtutem spiritus sancti augeri: in quam rem institutum est Sacramentum cum primis utile, ipsa nimis Confirmatio, quam celebrarunt Apostoli, cum Samaritanis imponerent manus, cum utili huius efficaciam, ut in Actibus Apostolorum scriptum est. & quod hic egerunt Apostoli, Christi nomine fecerunt: et in mysterio hoc inducendo, non aliter quam in alijs partibus muneris sui, uicem Christi gessisse uidentur: Inuitur autem mysterium hoc promissionibus Christi de gratia spiritus sancti, huiusq; missione: Ego mittam promissionem patris mei in uos. Item: Paracletus autem spiritus quem mittet pater in nomine meo, ille docebit uos omnia. Et quamquam Sacramentum Confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit, tamen Ecclesiam sub ipsis statim Apostolorum temporibus ex eorum traditione, ut externo signo internam spiritus

INTERIM.

tus sancti unctionem designaret, ritui eius adhibuit
 chrisma, cum impressione signi sanctæ crucis: quem
 morem, eumq; peruetustum Ecclesia Catholica ap=
 probare non desinit. Et credit, quos famulos suos
 DEVS regeneravit ex aqua & spiritu, eosdẽ hoc
 mysterio ita consignari, ut septiformem spiritũ san=
 ctum paracletum de cœlis, spiritum sapientiæ et in=
 tellectus, spiritum concilij & fortitudinis, spiritum
 scientiæ et pietatis ac timoris, capiant. Hæc cum cre=
 dat, & in huius Sacramenti administratione testifi=
 cetur Ecclesia Catholica, quæ est optima mysterio=
 rum Dei interpres: qui aliter sentit, eandem negat
 ueritatis columnam esse atq; firmamentum.

Vis igitur Sacramenti huius est, ut qui eo confir=
 mantur, accipiant spiritum sanctum, quo in uia salu=
 tis progredi, perseuerare, et tentationibus atq; insi=
 dijs carnis, mundi, diaboli, feliciter resistere possint.

At quia pleriq; eorum qui baptizantur, infantes
 sunt, nec fidei professionem per se edunt: conueniet
 ut pueri, cum iam adulti, de religione Christi iam sa=
 tis instructi, ad percipiendum confirmationis Sacra=
 mentum accedunt, fidem Christi & obedientiam Ec=
 clesie suo etiã ore profiteantur: & ieiuni atq; con=
 fessi hoc sacro mysterio initiẽtur, quemadmodũ per
 Conciliũ Aurelianense constitutũ est. Non tamẽ cẽ=
 semus, propterea paruulos ab hoc Sacramẽto repel=
 lẽdos esse cũ Christus ipse nõ dubitarit eis manus im

Mat. 19.

C ij ponere

INTERIM.

ponere. non enim legem hic datus Ecclesijs.

Minister autem huius Sacramenti sit Episcopus: id quod consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, et Apostolorum praxi comprobatur.

De Sacramento pœnitentiæ.

Ac quoniam homines renati sæpe in grauiâ crimina incidunt, instituit Christus Sacramentum pœnitentiæ, quod post baptismum sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio. in hunc enim usum tradidit clauem soluendi, inquit: Accipite spiritum sanctum: quorû remiseritis peccata, remittuntur eis. Si mulac enim peccatorem peccati sui pœnitet uerè, idemq; cum fiducia accedit ad thronum misericordiæ, et credit hoc Sacramentum accipi, quod Christus promisit, fit ei sicuti credit: nec deest Sacramento huic, quod promissum est. Vt enim Sacramenta alia, sic et hoc uim habet sanctificandi. Consistit autem Sacramentum hoc in absolutione sacerdotis, quæ instituto et uerbo Christi nititur, qui in hæc rem potestatem suâ delegat sacerdotibus, inquit: Sicut me misit pater, et ego mitto uos: accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed quia tamen sacerdos non solum habet potestatem remittendi, uerum etiam ligandi, cum utraque simul diuinitus tradatur: uidetur eatenus potestatem iudicandi accipere, quatenus hæc utriusq; clauis potestatem accipit:

nec

INTERIM.

nec eam exercere posse, nisi intelligat utrum remittere an retinere debeat. Tale autem iudicium non potest aliunde, quàm ex cōfessione oris et peccatorū enumeratione, hauriri. Nā cum pleraq; hominum delicta sine teste cōmittātur, occulta autem crimina animā etiā saucient atq; obsideāt, ac manifestis interdū grauiora et periculosiora sint: sacerdos de his nō sanē iudicare potest, nisi qui cōmisit, ea recēseat et cōfiteatur, et hęc sua quasi uulnera ipse aperiat.

Itaq; quatenus ad sananda hominum delicta pœnitentię remedium monstratum est, eatenus etiam confessio pœnitentis, cum enumeratione peccatorum, nobis cōmendata uidetur: quare ut Sacramentū pœnitentię tanquā salutare & necessarium probādum est populo Christiano, ita ipsa etiā confessio & peccatorum enumeratio, quæ ut nō minus laxanda est, ita uicissim nō nimis astringēda. Delicta enim quis intelligit? Itaq; enumeranda sunt peccata, quæ non quidem anxie nimis, sed tanen diligenter cogitanti & sese excutienti in mentem ueniunt. Quæ autem in mentem non ueniunt, generali confessioni rectē includuntur, & nihilo ea minus remittuntur, quàm si ea confitendo enumerasset. Et quoniam hic ex absolutione quæritur uenia, non tantum oneris imponit confessio, quantum consolationis absolutio credenti affert.

Psal. 18.

Iam etsi illa satisfactio, quæ culpā et eternā pœ-

C iij nam

INTERIM:

nam expiat, soli Christo tribuenda est, Satisfactio ta-
men quæ in pœnitentiæ fructibus consistit, maxime
autem ieiunio, eleemosyna et oratione, siue à nobis
ipsis suscepta, siue à parochis & dispensatoribus
Sacramentorū iniuncta: si ex fide & charitate per-
agitur, peccatorum causas excindit, & peccati reli-
quijs medetur, ac temporalem pœnam uel tollit, uel
mitigat, & in exemplum deniq; adhibetur.

Sed ut ad absolutionem sacerdotis in qua confi-
sit uis Sacramenti pœnitentiæ, redeamus: forma eius
& uerbum tale esse debet, ut qui confitetur, audire
atq; intelligere possit, sibi uirtute, merito ac benefi-
cio Christi, peccata remitti, iuxta huius institutum
& uerbum: **Ioan. 20.** Quorum remisseritis peccata, remittun-
tur eis. Nam hoc munus est Dei, cum ministerium sit
sacerdotis, ut uerbis Ambrosij utamur.

De Sacramento Eucharistiæ.

Qui iam per Sacramentū pœnitentiæ reuixit in
domino, ei item necesse est ali, & in bono spiritali
crescere. Instituit igitur Christus Sacramentum Eu-
charistiæ sub uisibili specie panis et uini, quod uerū
Christi corpus et sanguinē nobis præbet, et hoc spiri-
tuali cibo unit nos sibi ut capiti et mēbris corporis
sui, ut in ipso ad omne bonū enutriamur, et cū sanctis
in eorūq; cōmunionē augeſcamus per charitatē. **1. Cor. 10.** V-
nus enim panis, unum corpus multi sumus, omnes qui

EX UNO

INTERIM.

ex uno pane participamus, inquit Paulus. Forma autem huius Sacramenti, sunt uerba illa solennia, quae Christus ipse dedit: Hoc est corpus meum. & iterum: Mat. 26.

Hic est enim calix sanguinis mei, &c. Quod si igitur Christo & uerbo eius tantum tribuimus, quantum debemus: dubium non est, quin simulac uerba eadem accedunt ad panem & uinum, ex his fiat uerum corpus & uerus sanguis Christi, quatenus panis ac uini substantia in uerum Christi corpus & sanguinem transmutatur: quod qui negat, idem Christi omnipotentiam in dubium uocat, & eundem ipsum uanitatis insinuat: quod magis cauendum est, ne indigne hoc Sacramentum sumatur, scriptum est enim: Nam qui

I. Cor. II

edit aut bibit indigne, iudicium sibi edit ac bibit, non diiudicans corpus domini. Propter hoc multi inter uos infirmi sunt ac imbecilles, & dormiunt multi. Indigne autem sumit Sacramentum illud, quicumque aut aliter de eo sentit quam oporteat, aut non uere respicit, Nam ut Augustinus inquit, mutet uitam, qui uult accipere uitam. nam si non mutet uitam, ad iudicium accipiet uitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis occiditur, quam uiuificetur. Itaque probanda est consuetudo Ecclesiae, quae hominem non ante ad Sacramentum eucharistiae ducit, quam poenitentiae Sacramentum eum repurgarit. Habet eucharistia uim roborandi in bono spirituali: cui rei non sane ullus est locus, nisi repurgatio peccatorum antecesserit:

INTERIM.

in quo ipso imitari debemus bonos medicos, qui non antè præbent quæ roborare ac confirmare possunt, quàm malos humores è corporibus eiecerint: quod nisi fecerint, non prosunt ægrotò, sed magis obsunt. Iam quanto maior hic adhibenda est cautio, ne indignè sumas: tanto plus consolationis capiunt, qui eucharistiam dignè ac piè sumunt, & cogitant se pane è cælo descendente, qui uitam dat mundo, uesci: & ex hoc uerum atque spirituale robur contra omnia mala percipere.

De sacra vnctione.

Sacramenta, quæ paulò superius posuimus, magnã sanè & multiplicem utilitatem generi humano afferunt: tum aut ex uetustate carnis languentes regenerat, aut regeneratos, in gratia quã acceperunt, cõfirmant: aut relapsos, in gratiã unde deciderūt, restituit: aut restitutos, Christo firmiter uniuunt: in quẽ usum, eumq; salutarẽ, non deest Sacramentis gratia Christi: sed hæc potius per eadẽ ueluti instrumenta hominibus tribuitur. Quanquã igitur horum Sacramentorum utilitas latissimè per omnem uitam patet, tamen ne homo, cum ægrotat, desideret subsidium peculiare, quod hoc eius periculosissimo tempore, uel corpori ipsius subuenire, uel animam contra ignita satanæ tela munire possit, instituta est unctio sacra, ad quam oratio Ecclesiæ accedat, hanc unctio

nem

INTERIM.

nem primi exercuerūt Apostoli, qui mandato domini ad prædicandum Euangelium missi, dæmonia eiiciebant, & oleo ungebant multos infirmos, & sanabantur. Quæ utiq; sacramentalis & mystica, non medicinalis aut corporalis, unctio fuit: ad quam inter initia fidei, externa etiam corporis sanitas, quasi quoddam internæ sanationis signum, consequebatur, quemadmodum in alijs sacramentis, ad commendationem & confirmationem rudis adhuc fidei, interna uirtus externis & sensibilibus signis & miraculis demonstrabatur. Nunc uerò adulta & corroborata fides, signa quæ infirmis dantur, nõ requirit. Huius mysticæ & salutaris unctiois à domino fundatæ ritum, quo administrari eam conueniat, Apostolus Iacobus promulgauit: Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungetes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus, &c.

Quanti autem in Ecclesia esse debeat testimonium fratris illius domini, testimonium dicimus: imò uerò promulgatio: quam cum fecit legatus atq; apostolus Christi, Christus ut à se factam proculdubio ratã habuit. Qui igitur contemnit hoc Sacramentũ, Christum ipsum contemnere, & gratiam quam hic per unctionem sacram nobis quodammodo porrigit, aspernari uidetur: atq; hoc fuerit tanto periculosius quanto grauius est discrimen, in quo egrotus uersatur

Marc. 6.

Iaco. 5.

33.
INTERIM.

tur, nō solum corporis, sed etiam animæ, in quod potestates tenebrarum cum adducunt, quatenus in extremo uitæ tempore, omnes quasi machinas ad extinguendā salutem hominis admouent, eiusq; animū terroribus incredibilibus frangere, & in desperationem impellere conantur.

Vnctionem quidem hanc sacram, solis infirmis adhibendam Iacobus apostolus insinuat, quod reliqui etiam apostoli seruauerunt: non tamen in omnibus, sed periculosis modò infirmitatibus, & ubi uitæ huius interitus timetur, exercenda est mystica illa unctio.

De Sacramento ordinis.

Quod autem ad ministeria ecclesiæ attinet, quanto hæc maiora sunt, tanto magis dono Dei ac gratia egēt. Quanquam enim Christiani omnes sunt sacerdotes, quatenus spirituales hostias Deo offerre, & nomē itē eius in omni loco utiliter inuocare possunt: non omnes tamē sunt ecclesiæ ministri, sed iam inde ab ortu ecclesiæ segregati sunt quidā in ministerium ecclesiæ, qui huius muneribus fungerentur: & eodem ita distinxit Deus, ne iidem omnia possent, ne ex promiscua illa ratione perturbatio nasceretur. Neq; enim Deus est cōfusionis author. Institutū est igitur sacramentū ordinis, cum signo impositionis manū, & alijs huic sacramēto cōgruentibus ritibus,

I. Cor. 14.

tibus, quo qui cōsecrarentur, ad munera ecclesie acciperent gratiam, qua ad eadem ipsa munera administranda apti, habiles atq; idonei efficerentur. Hinc illud Apostoli ad Timotheum: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cū impositione manuum presbyterij. Hoc autem ordinis sacramentum, uerbis Christi nititur: Sicut me misit pater, & ego mitto uos: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Item: Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Item: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas. Item: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus igitur in perpetua Ecclesie successione manus imponunt Episcopi, ut ordinibus initientur, potestatem muneris sui exequendi dat: quæ sanè duplex est, ordinis uidelicet & iurisdictionis. Sub alteram cadit ministerium uerbi diuini, administratio sacramentorum, & ecclesiarum ordinatio ad ædificationem: Sub alteram uerò, potestas excommunicandi, pœnitentes absoluendi. Ordines autem quos Catholica ecclesia agnoscit, sicut hi septem: Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Lectorum, Exorcistarum, Ostiariorum, quibus distincta munera, eaq; aut necessaria ecclesiis aut utilia, assignari debent: ut facile appareat, eum de ecclesia Christiana male mereri, quicumq; ordines hos uel spernit, uel tollit.

De

De sacramento matrimonij.

Math. 19

Instituerat Deus in paradiso matrimonium, quo
 mas & foemina ad perpetuam & indiuiduam uitae
 societatem coniungerentur, iuxta uerbum domini:
 Quamobrem homo relinquet patrem & matrem,
 & adheret uxori suae, & erunt duo in carne una.
 Quamquam autem matrimonium ad tam arctam ho-
 minum societatem institutum erat, tamen sub lege
 patrum matrimonia a prima institutione duobus mo-
 dis degenerauerunt: uidelicet ut & unus plures ux-
 ores duceret, & ductam, aliquando dato libello repu-
 dij, à se dimitteret: quorum prius ex dispensatione
 Dei permissum, futuri temporis mysterio seruirebat,
 ut per plures unius uiri uxores insinueret, Christum
 tam ex synagoga quam ex multitudine gentium, ec-
 clesiam sibi collecturum, & sponsam sibi adiunctu-
 rum: & ut foecunditate plurium uxorum, Christo sal-
 uatori ex eodem semine nascituro seruirent. Repu-
 dium uero Moyses populo ob duritiã cordis permi-
 sit, leuius ducens, uxorem à uiro odio habitam di-
 mitti, quam occidi, ut caede eius nouis nuptijs locum
 aperiret. Verum postquam plenitudo gratiae Dei ue-
 nit, ut alia, quae uel in caelo uel in terra essent, restau-
 rauit Christus, sic etiã matrimonium restituit. Hinc
 illud Christi: Qui fecit hominem ab initio, masculum
 & foeminam fecit eos Deus. & dixit: Propter hoc
 dimittet

Mat. 19.

Mar. 10.

INTERIM.

dimittet homo patrem & matrē, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quos igitur Deus coniunxit, homo non separet. Et paulò post: Moyses ob duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras, ab initio autem non fuit sic. Quamobrem quicumq; dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliã duxerit, mœchatur. Quod Apostolus interpretatur, cum ait: *Iis qui matrimonio iuncti sunt, precipio non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere: quod si discesserit, manere inuuptam, aut uiro suo reconciliari. Hæ itaq; Christiani matrimonij singulares conditiones, manifestis scripturæ sanctæ testimonijs comprobantur. Vna, ut sit matrimonium duorum tantum, hoc est, uiri unius cum una muliere cõiunctio. Duo, inquit, erunt in carne una. Nec sic iunctis liceat, defraudato coniuge suo, alicui tercio corporis sui potestatem permittere, prohibente Apostolo & dicente: Mulier potestatem corporis sui non habet, sed uir: similiter & uir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Altera cõditio est ut uinculum coniugij inter duos semel colligatum, nullo amplius diuortio, sed sola alterutrius morte, dissoluatur. Nam quòd Christus ob fornicationem dimitti posse uxorem insinuat, hæc separatio tori & mensæ consuetudinem inter coniuges scindit, uinculum coniugij non soluit, ita ut adulterium committat,*

I. Cor. 7.

I. Cor. 7.

tat,

INTERIM.

tat, ut alienam contrectans uxorem, quisquis sic dimissam duxerit.

Quoniam igitur Christus matrimoniū gratia sua melius fecit, & arctiori quasi uinculo cōstrinxit, ut quemadmodū Christus unius Ecclesie unus est sponsus, idq; indissolubili nexu, sic unius uxoris unus sit maritus, idq; perpetua coniunctione, & similiter atque Christus cum Ecclesia sponsa sua perpetuò iungitur: quare matrimonium non solum coniunctio est maris atq; fœminæ, sed etiam Sacramentum, ob gratiam Christi, quæ ei nunquam deest: ut cum uir uxorem suam diligere possit, perinde quasi Christus Ecclesiam, sic ille cum hac colat societatem indiuiduā, ut unā sit in perpetuum consensus. Nec cum hac inuita diuortium faciat, exceptis causis quæ iure diuino explicantur.

Ac quoniam Deus fouet matrimoniū gratia sua, idemq; approbat, quatenus coniuges inter se matrimonium contrahunt, signū datur illustre, ad sperādā consuetudinem ipsorum cum bonam esse per se, tum Deo gratam. Et quanquam prolis procreandæ causa matrimonium potissimum contrahi debet, tamen qui contrahit etiam fornicationis uitandæ causa, nō peccat: habeat enim unusquisq; uxorem suam propter fornicationem, inquit Paulus. Vis igitur Sacramenti huius est, ut intelligant coniuges, se non humana, sed diuina auctoritate cōiunctos, gratiā accepisse,

INTERIM.

pisse, qua ipsis legitimus congressus non imputetur ad culpam: qua item Christianis uxorem gentilem, cum eo manere uolentem, sanctificet, & sanctos, hoc est, Deo dicatos filios procreet: qua deniq; perpetuam fidem coniugi seruet, ut sint duo in carne una: **I. Tim. 2.**
 & qua mulier fidelis salua fiat in procreatione filiorum, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate. Itaq; matrimoniū honorabile, in eoq; torus immaculatus esse potest. Quod cum Manichæi, Taciani & Encratitæ ignorarēt, matrimonium reprehendere nō dubitârunt: quam eorum sceleratam temeritatem, à doctrina demoniorum profectam, Apostolus Paulus damnat.

Ac quoniam uinculum matrimonij tale est omnino, tātāmq; uim habet ad coniungendum, ut non sit ullū coniunctionis, humanæ uinculū, quod magis constringat: quod cum agnosceret Adam in paradiso, sic de muliere, quam Deus è costa corporis ipsius ædificauerat, locutus est: Hoc nunc os de osibus meis, & **Gene. 2.**
 caro de carne mea: ob hoc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaq; cum patria potestas huic inter cōiuges cōiunctioni suo iuri cedat, audiendi nō sunt, qui uolunt hoc tempore matrimonium uel sponsalia contracta scindi & irrita esse, si parentum consensus non accesserit. Nihil hic detrahimus

INTERIM.

mus obedientiæ, quam liberi parentibus debent, sed nolumus parentes in impediendis aut dirimendis matrimonij potestate sua abuti. Quia tamen censemus honestatis esse, ut liberi sine consilio & consensu parentum non contrahant, huius officij sui per concionatores sedulo admonendi sunt.

An uerò parentibus potestas permitti debeat in hoc casu, liberorum inobedientiam derogatione aut saltem diminutione dotis aut aliqua alia uia puniendi, de hac re ordinariæ potestati cura relinquenda uidetur.

De sacrificio Missæ.

Vt religionem, sine qua nulla gens uiuit, ius nature introduxit, sic etiam cæremonias, sine quibus religio coli non potest, nec solet. In ipsis uerò cæremonijs externam oblationem, uelut præcipuam, omnes omnium seculorum gentes obseruauerunt, quæ etsi (teste Cypriano) circuncisionem uelut crudelem & nature inimicâ horruerunt, nõ tamen similiter repudiârunt reliqua sacrificia: sed in multis legem nature sequentes, expiationum retinuerunt instrumenta, & immolare uictimas, & incendere adipem, & libaminibus fundere coram Deo uota & preces, cultu cum ipsa natura hominibus insito, & per omnium animos diuinitus purgato, perseverauerunt. Sed & hoc commune, & omnium animis affixum,
omnes

INTERIM.

omnes gentes tenuerunt, ut externæ oblationis cultu, um Deo deberi, magno consensu existimarent. Nemo enim externa oblatione colendū unquam cen-
 sivit, nisi quem Deum esse aut sciuit, aut putauit, aut
 finxit huius cultus antiquitatem, duorū fratrum Cain
 & Abel sacrificia comprobant, quorum priorem
 simul & munera eius auersatus reprobauit Deus,
 minoris uerò oblationem placatus aspexit.

Aug. de ci-
 uiat. dei li.
 10. ca. 6.

Hunc uerò sacrificiadi ritum Deus, uolens omnes
 homines saluos fieri, mentibus hominum hac de cau-
 sa diuinitus in seuit. Cū enim propter unius homi-
 nis peccatum, uniuersum genus humanum iræ Dei et
 iustæ damnationi obnoxium teneretur, tantoq; gra-
 uior & periculosior illis damnatio immineret, quan-
 to magis peccata peccatis accumulando, iustam Dei
 irā contra se incitabant: DEVS nolens perire quos
 condiderat, mediatorem & reconciliatorem huma-
 no generi destinauit, qui nos cum authore nostro re-
 conciliaret, & iustam Dei iram singulari sacrificij
 oblatione placaret. DEVS igitur magnæ dilectio-
 nis filium suum carne nostra circumdatum misit in
 mundum, qui peccata nostra in se suscipiens, in cor-
 pore suo ea pertulit in cruce, & semetipsum pro no-
 bis hostiā appendens, per propriū sanguinem in san-

Heb. 9.

cta semel ingressus, æternā redemptionē adinuenit.
 Huius preciosissimæ hostiæ nidore delinitus pa-
 ter, irā remisit, & homines prius peccatis immersos
 D impuros

INTERIM.

2. Cor. 6. impuros, & iniustos, et damnationi obnoxios, nunc filij sui sanguine ablutos absoluit, iustificauit, ac sibi reconciliauit.

Huius unice oblationis uirtus atq; efficacia, non illi modo tēpori seruiens, quo Christus in carne hostiam se appendit, sed omnes omnium seculorū etates complectens, omnium hominum qui ab origine mundi fuerunt, & in finem usq; seculi nascituri sunt, delendis peccatis suffecit.

2. Cor. 5.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

Apoc. 13.

Verē enim erat deus in Christo, mundū sibi recōcilians. Et: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi: & ipse est propiciatio pro peccatis nostris: & non pro nostris tantū, sed etiā pro totius mundi. Mundus autem nō unius temporis, sed omnium etatum homines comprehendit, Hinc in Apocalypsi Christus agnus dicitur ab origine mundi occisus, quoniam sanguis eius omnium etatum iam inde ab initio mundi delicta emundauit.

Heb. 10.

Colo. 1.

Eph. 1.

De hac oblatione, quæ ad totius generis humani reconciliationem una suffecit: Paulus ait: Unica oblatione consummauit in æternum sanctificatos. & quia in ipso cōplacuit omnē plenitudinē inhabitare, et per eū recōciliari omnia in ipsū, pacificās per sanguinē crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sūt, et placuit instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sūt in ipso. Et in Esaia: Torcular, inquit, calcavi solus, & cuius liuore sanati sumus.

Esaie. 63.

Esaie. 53.

Vt uerò huius tā efficacis oblationis, quæ omnium ho-

INTERIM.

um hominū salutē plenissimē, sufficientissimē, et perfectissimē meruit omnes homines participes fierēt, et eius fructū in se trāsferrent, Deus ab initio mūdi, sub lege naturæ diuina inspiratione in animis hominū sacrificādi ritū excitauit, et mox data lege, diuersa sacrificia mōstrauit: quorum omniū hic usus erat, nō ut homines Deo recōciliarent, et salutē ipsa mererentur, sed ut per hæc externa sacrificia uēturi sacrificij, in quo redēptionē omniū Deus promiserat, memoria in animis hominum subinde excitaretur, fides confirmaretur, et fructus eius credentibus, et in uirtute uenturi sacrificij sperantibus applicaretur. Et ut quoties ista sacrificia celebrarētur, homines cum aliorum beneficiorum Dei, quæ continua eius benignitate accipiebant, tum salutis suæ per promissum reconciliatorem accipiendæ, gratis animis recordarentur.

Nullum itaq; siue sub naturæ, siue sub Moysis lege sacrificium per se Deo placebat, quippe qui ijs quæ offerebantur, se non indigere sæpe protestatus est. Si esuriero, inquit, non dicā tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid māducabo carnes taurorū, aut sanguinem hircorū potabo? Sed quatenus hæc uisibilia sacrificia, inuisibilis et futuri sacrificij Sacramēta erāt, si quis ea in fide à Deo promissi recōciliatoris obtulisset, hoc agēs his externis sacrificijs, ut fidē in uēturū Christū ostēderet, et salu

Psal. 49.

INTERIM.

taris istius sacrificij fructum, quem iam & fide conceperat, & firma spe expectabat, in se transferret, & Deo pro tantis beneficijs animi sui gratitudinem declararet: utq; talia sacrificia & Deo grata, & offerenti salutaria erant, nulla quidem sua propria, sed futuri sacrificij uirtute, quam per fidem offerenti applicabant.

Hebr. 10.

Et ut ratio sacrificiorum disertè intelligatur, uanicum est sacrificium meritorum, cuius uirtus delendis hominū peccatis efficax, homines à Deo alienatos, & iræ eius ac damnationi obnoxios reconciliauit, & æternam salutem & redemptionem toti hominū generi meruit: illa uidelicet Christi uictima salutaris, qua pro delictis hominū in cruce se hostiam appendens, in æternum consummauit sanctificatos, cuius meritum nō accipit augmentū, quia perfectum est: nec diminuitur aut exhauritur, quia æternū est. Vnde et reliqua omnia sacrificia nihil huic sacrificio superaddūt, nihilq; ipsa per se merentur: sed unicæ huius oblationis fructum credentibus applicant, & ad excitandam & retinendam in animis hominum huius unicæ oblationis memoriam et fidem confirmandam, & pro omnibus Dei beneficijs declarandam gratitudinem, seruiunt.

Sunt autē huiusmodi applicatoria sacrificia quædam omnibus legibus communia, & promiscuè omnibus hominibus permessa, qualia sunt sacrificium

INTERIM.

contribulati cordis & humiliati spiritus, & ob co
lendam pietatem susceptæ carnis afflictiones, sacrifi
cium labiorum, precum, gratiarum actionis & lau=
dis, et si qua sunt similia. Quædã uerò semper fue=
runt uniuscuiusq; legis propria, & certis hominum
officijs alligata, à quorum oblatione alij magnis com=
minationibus & pœnis arcebantur, primo Regum
decimotertio, secundo Paralipom. uigesimosexto.
Nec ulla lex, quemadmodum nunc nec ulla gentium
religio sacrificijs caruit: hæc enim tria colligata
sunt, et seinuicem necessario consequuntur: Lex,
sacerdotium, & sacrificium, Heb. 7.

Sic itaque sub lege naturæ iusti homines & de
Dei promissionibus edocti, in eum quæ futurum scie=
bant saluatorem, credentes, sacrificia offerebant:
quorum oblatione, futuræ salutis fidem et spem, &
pro ea gratitudinẽ suã declarabant, & eius quod fu=
turũ expectabant, salutaris sacrificij meritis adiuua=
ri ambiebant. Hunc morem ceteræ gentes, occulta
inspiratione animis eorum insita, imitantes, nõ qui=
dem uerum Deum, sed quem Deum aut putabãt aut
fingebant, sacrificijs placare uoluerunt.

Lex uerò per Moysen data, ad legem naturæ ac=
cedens, non ut eam tolleret, sed ut meliorem redde=
ret, oblationes externas instituit: quæ & præfigura=
rent futurum Christi sacrificium, et quoties eas cele=
brarent ludæi, tum aliorum beneficiorũ Dei gratis

INTERIM:

animis recordarentur, cum illius uenturi sacrificij uirtutem in se, credendo & sperando & orando, transferrent.

Ierc. 31.

Christus qui non uenerat legem soluere, quatenus uel naturalis uel moralis erat, sed eam potius adimplere, cum nouam legem suam, de qua iam ante per Ieremiam promiserat, in mundum induceret, ne eam solum in hac parte, contra precedentium legum communem morem, maneam aut imperfectiorem relinqueret, peculiari sacrificio pariter & sacerdotio eam instruxit. siquidem necesse fuit, iuxta Apostoli sententiam, succedente noua lege etiam sacrificium huic legi peculiare consequi, Heb. 7. & sacerdotes, uelut huius sacrificij ministros, assumi, Heb. 5.

In qua legis parte, sane bona, sancta & pia, idem dominus noster Iesus Christus, ne ecclesiae suae deesset, in ultima coena cum gratias egisset Deo, sacramentum corporis et sanguinis sui instituit, duplicem eius usum statim commendans: ut a fidelibus uelut animae salutare alimentum sumeretur: Accipite, inquit, et comedite: & ut in memoriam passionis suae offerretur. cuius oblationis ministerium, apostolis, uelut nouae legis sacerdotibus, contradens: Hoc, inquit, facite in mei commemorationem.

Quemadmodum igitur ante Christi aduentum Deus patribus certa quaedam sacrificia tradidit, quibus magni istius sacrificij, quod futurum ipsi expectabant

INTERIM.

Et abant, memoriam in animis suis excitarēt, fidē sta-
 bilirent, & fructū eius credendo & orando sibi ap-
 plicarent, & per eorum oblationem beneficiorum
 Dei gratis animis recordarentur: sic Christus eccle- Heb. 10.
 siæ suæ mūdā & salutarem corporis & sanguinis
 sui oblationem, sub speciebus panis & uini commen-
 dauit, qua corporis eius in cruce pro nobis appensi,
 & sanguinis effusi memoriam subinde in animis no-
 stris renouaremus, & fructum istius oblationis
 cruenta, qua in æternum cōsummauit sanctificatos,
 in nos transferremus. hoc est enim facere in memo-
 riam eius, id est, gratis animis cōmemorare mortem
 domini, & per memoriam & meritum passiōis eius
 deprecari patrem ut nobis reconcilietur.

Hæc est munda & salutaris oblatio, illius unici
 sacrificij, quo omnium salus comparata est, rememo-
 ratiua, non solum significans, sed re ipsa in se cōpre-
 hendens ueritatem illarum rerum, quas diuersorum
 sacrificiorū oblationes olim præsignabant: eadē ni-
 mirū corporis & sanguinis Christi hostia, quæ in
 cruce est oblata, nō alia: idē agnus, nō alius, & unus
 utrobique Christus, sed tunc cruento & passibili mo-
 do oblatus est, qua oblatione omnibus credētibus re-
 missionem peccatorū & redemptionem sufficienter
 impetrauit. Nunc uerò eundem sub mysterio & mo-
 do incruento & impassibili offerimus, non ut pecca-
 torum remissionem & animarum nostrarum salutem

INTERIM.

iam primum promere amur, sed ut passionis dominicæ memoriam recolentes, Deo gratias agamus pro salute nobis in cruce impetrata, & ibi promeritam peccatorum remissionem & redemptionem, fide & deuotione nobis applicemus & appropriemus.

Hanc tam salutarem uictimam in spiritu præuidit
Malach. I. Malachias, cum ait: Non est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu uestra: ab ortu enim solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. quod uaticinium de solis spiritualibus sacrificijs accipi non potest, quæ nullius legis propria, sed omnibus temporibus & hominibus communia existunt, & cum sacrificijs ueterum semper commixta durauerunt. At ipsa uerborum serie satis cõuincitur, Prophetam loqui de sacrificio, quod, sublatis ueteribus sacrificijs, in locum eorum erat successurum, unde rectè hæc uerba de sacratissimo Christi sacrificio accipiuntur, non illo quidem, quo se in cruce pro peccatis generis humani obtulit: (illud enim nec inter gentes, nec in omni loco, sed in Iudæa consummatum est) sed quod ex gentibus cõgregata ecclesia per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis domini, & ad uirtutem eius in credentes transfundendam: atq; hic loci illius intellectus, luculentis patrum testimonijs roboratur. Irenæus li. 4. contra hæreses

INTERIM.

ca. 32. Eum qui ex creatura panis est accepit, & gra-
 tias egit, dicens: Hoc est corpus meū. Et calicem simi-
 liter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos,
 suum sanguinem confessus est, & noui testamenti no-
 uam docuit oblationem, quam ecclesia ab Aposto-
 lis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, de quo
 in 12. prophetis Malachias sic præsignauit: Ab ortu
 solis usq; ad occasum, nomen meum glorificatur in-
 ter gentes, & in omni loco incensum offertur nomi-
 ni meo & sacrificium purū. Augustinus: Nouerint, Aug. con-
 inquit, qui legunt, quid protulerit Melchisedech tra aduer-
 quando benedixit Abraham. Et si iam sunt partici- sarios legis
 pes eis, uident tali sacrificio nunc offerri Deo toto lib. I. cap.
 orbe terrarum. Vnde alius propheta dicit ad eum, 20.
 qui secundum carnem est Israël: Non est mihi uolun- Mal. I
 tas in uobis, & c. Ambrosius de hoc nouæ legis sa-
 crificio testatur: Antè agnus offerebatur, offereba-
 tur uitulus: nunc Christus offertur quasi recipiens
 passionem, & offert seipsum quasi sacerdos. Chry-
 sostomus: Nonne per singulos dies offerimus? offe-
 rimus quidem, sed recordationem facientes mortis
 eius: & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo
 est una, & non multæ? & quia semel oblata est illa,
 oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrifi-
 cium, exēplum est illius, id ipsum semper offerimus.
 Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed
 semper id ipsum, & cæt. Athanasius: In æternum, in-
 quit,

INTERIM.

quit, Christi est sacerdotium: quia quotidie offertur per ministros Dei oblatio, Christum & pontificem habens, & sacrificium.

Psal. 109.

Gen. 14.

Hanc uerò oblationem, quam ecclesie in recordationem mortis suae faciendam Christus commendauit, prius ipsum in coena exercuisse, & patri seipsum sub speciebus panis & uini obtulisse, magni testes comprobant: inter quos Dauid, Christum appellans sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, satis ostendit, Christum sacrificio panis & uini, figuram, quae in Melchisedech sacerdote praecesserat, adimpleuisse, de quare sanctus martyr Cyprianus lib. 2. epi. 3. Qui ordo utiq; est de illo sacrificio ueniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & uinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & uinum, suum scilicet corpus & sanguinem? Et mox: Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificij, in pane & uino scilicet constituta: quam rem perficiens & adimplens dominus, panem et calicem mixtum uino obtulit: & qui est plenitudo, ueritatem praefiguratam imaginis adimpleuit, Arnobius: Hic (inquit, de Christo

51.

INTERIM.

Christo loquens) qui per mysterium panis & uini sacerdos factus est in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui panem & uinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham uictor reuenteretur de prelio. Damascenus: Pane & uino suscepit Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarum, qui erat sacerdos Dei altissimi. illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam, uelut & sacerdos ille Christi ueri sacerdotis præfiguratum præ se ferebat imaginem. Tu es, inquit, sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Similia multa testimonia inueniuntur apud Hieronymum ad Euagrium, Augustinum de Doctrina Christiana libro quarto, cap. uigesimo primo, Ambrosium de Sacramentis libro 4. Chrysostomum, Theophylactum.

Secundum hæc sacræ scripturæ & sanctorum patrum testimonia, Catholica Ecclesia, duo Christi sacrificia agnoscit, eadem secundum substantiam, sed secundum rationem & ritum offerendi multum diuersa: Vnum in cruce cruentum: Alterum, quo in cœna sub panis & uini specie corpus & sanguinem suum ipse sacerdos iuxta ordinem Melchisedech patri obtulit, perpetuum condens nouæ legis sacrificium, quod apostolis suis ac successoribus ipsorum, ut ad finem usque seculi in memoriam ipsius facerent, commendauit. Horum ut modus offerendi diuersus, sic & usus discretus est. cruento

INTERIM.

ento suo sacrificio Christus totius mundi reconcilia-
tionem & propiciationem pro peccatis, & plenam
omnium redemptionem impetrauit. Alterum uerò
sacrificium, ad recordationem cruenti sacrificij insti-
tutum & ecclesie commendatum est, quo Christum
impasibili & incruento modo sistimus patri, non
ut remissionem peccatorum & redemptionē de no-
uo mereamur, sed ut in cruce meritam fide & deuo-
tione nobis applicemus, Christi iussione sequen-
tes, qua iussit ut hoc in memoriam sui faceremus: id
est, ut per memoriam & meritum passionis suae, pa-
trem pro reconciliatione nostri & peccatorum re-
missione, & animarum nostrarum salute, proq; cor-
porum ac rerum nostrarum incolumitate, depreca-
remur.

Hactenus ostensum est, quibus rationibus & te-
stimonijs sacrificium altaris subnixum subsistat: nūc
de ritu eius pauca subiiciantur.

In celebratione sacrificij altaris, nūc laudes Dei,
nunc fideles populi preces, nūc gratiarum actiones,
nunc scripturarum lectiones subinde admiscuntur.
Vnde & laudis, & gratiarum actionis, & precum
sacrificium recte nūcupatur: quo ritu Catholica Ec-
clesia Christi exemplum refert, qui in cœna sacrifi-
cio pro incolumitate Ecclesie, quam in terris reli-
cturus erat, multas preces ad patrem fudit, & tan-
dem hymnis & gratiarum actione cœnam mysticam
consumm-

INTERIM.

consummavit. Sed & hanc Pauli seriam commonitionem, qua in primis fieri uoluit obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate, Ecclesia in celebratione sacrificij altaris, iuxta Augustini sententiam, plene & exanussatim obseruat: tum obsecrationes facit, antequam illud, quod est in domini mensa, incipiat benedici. Orationes uerò, cum benedicatur & sanctificatur: postulationes autem ceu interpellationes, cum populus benedicatur, & misericordissimæ potestati commendatur. Quibus peractis, & participato Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Vide Augustinum epist. 59. ad Paulinum, ubi ritum celebrandi sacrificij altaris, qualem hodie obseruat Ecclesia perspicue agnosces.

I. Ti. 2

Sed & apud alios omnium ætatum uiros Catholicos hunc ritum receptum & confirmatum uidere licet, qui admixtas in celebratione huius sacrificij preces, & gratiarum actiones, & ipsam hostiam solenni prece consecrari solitam, magno consensu meminert. de qua re Chrysostomus in Matthæum homilia 83. de Sacerdotio libro tertio. Basilius Magnus de Spiritu sancto cap. 27. Theophylactus in ca. 14. Marci. Gregorius epist. 63. ad Ioannem Episcopum Syracusanum. Ambrosius de Sacramētis li-

bro

INTERIM.

bro 4. ca. 5. qui & hunc canonem, quo nunc utitur Ecclesia, penes secundum singula eius uerba, passim in libris à se editis recenset.

De memoria Sanctorum in altaris sacrificio fieri consueta, & de eorum intercessione inibi expedita, & obiter de Sanctorum inuocatione.

Cum itaq; in hoc altaris sacrificio immensi istius beneficij memoriam recolimus, quo Christus semet ipsum pro totius corporis sui mystici, id est, pro omnium credentium incolumitate & salute hostiam fecit, ibiq; secundum domini exemplum & Apostoli commonitionem, pro totius Ecclesie incolumitate preces ad Deum fundende, & pro omnibus eius beneficijs gratie agenda sint: Ecclesia intra se omnia sua membra colligens, eorum etiam memoriam facit, qui hac mortalitate exuti, apud dominum uiuunt, & in primis grata ueneratione Deo dilectos sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos, cum natura imbecilles essent, gratie suae munere ita roborauit, ut uitia carnis superarent, et contra peccatum, diabolum & mortem nõ sua, sed Dei uirtute fortes, uiriliter dimicando, coronam iustitiae à iusto iudice impetrarent. De huius gratiarum actionis pro sanctis antiquitate & cõsuetudine, per totam Ecclesiam diuulgata, uide apud Dionysium Areopagitam,

INTERIM.

gitam, Cyprianum lib. 3. episto. 6. libr. 4. episto. 5.
August. de ciuitate Dei lib. 8. cap. 27. lib. 22. cap. 10.
contra Faustum Manich. lib. 20. cap. 21.

Nec solum ueneramur sanctos, & pro his gra-
tias agimus, sed eorum precibus & meritis in omni-
bus diuine protectionis auxilio muniri postulamus
recte sentiētes, eos uelut eiusdem cōmunionis ciues
& corporis eiusdem mēbra, etiannū uno spiritu &
uinculo charitatis nobiscū colligatos, salutem no-
strā appetere, & malis nostris indolere: ideoq; pro
necessitatibus nostris apud communem Deum pa-
trem, per Iesum Christum communem omnium me-
diatorem, interpellare. Quod ut faciant, ipsum ius
communione qua nobis iuncti sunt, simul & prae-
ceptum eos adducit. Orate, inquit Iacobus, pro inui Iaco. 5.
cem ut saluemini: & charitas qua erga nos afficiun-
tur, suadet & monet, & ea qua apud Deum nunc
pro se securi, & ab infirmitatibus & defectibus im-
munes uiuunt, facultas non prohibet: quodq; eos in
alia uita facere apertis scripturae testimonijs cogno-
uimus. 2. Macha. 15. ubi Onias cōspicitur manus pro-
tendens, & orans pro populo: & alius uir, etate
et gloria mirabilis, de quo dicitur: Hic est fra-
trum amator et populi Israēl: Hic est qui mul-
tum orat pro populo et uniuersa sancta ciuitate Hie-
rusalem, Ieremias propheta. & Zachariae primo,
Angelus pro ciuitatibus Iuda interpellat: Domine
exercituum,

INTERIM.

exercituum, usquequo non misereberis Hierusalem,
& urbium Iuda quibus iratus es?

Hac fide, sicut eorū qui nobiscum in carne uiuunt
itaet sanctorum apud Deum uiuentium preces pro
nobis postulamus: & ut pro nobis orent, eos nomi-
natim appellamus, nec dubitamus quin ei qui potest
omnia, facile sit efficere, siue per Angelorum mini-
steria, siue alia sibi placita ratione & uia, ut nostras
petitiones sancti resciscant, qui utiq; hoc præstat,
ut Angeli peccatoris conuersionem in cælo cogno-
scentes, gaudio exultent.

LUC. 15.

Merita uerò Sanctorum non talia esse asserimus,
qualia in Christo inuenimus, qui semetipsum pro no-
bis impendens, & sanguinem suum pro nobis fun-
dens, plenam cum Deo reconciliationem mundo pro-
meruit. Sancti uerò merita sua, quibus & ipsi salua-
ti sunt, & nobis suffragantur, ex eodem omnis salu-
tis & totius meriti fonte, Christi uidelicet passio-
ne, hauserunt. Non enim, si iustitiæ rigorem specte-
mus, cuiquam Sanctorum operationes suæ, quātum-
uis fructuosæ, ad propriam salutem suffecissent,
iuxta illud: Non iustificabitur, in conspectu tuo om-
nis uiuens. Et illud Christi: Si feceritis omnia quæ
præcepta sunt uobis, dicite: quia serui inutiles su-
mus. Et illud Pauli: Non sunt cōdignæ passionibus hu-
ius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur
in uobis. Ex Dei autem misericordia & liberalitate

Psal. 142.

LUC. 17.

ROM. 8.

INTERIM.

& Christi gratia, non solum ipsis ad salutem San-
 ctorum merita conducunt, sed etiam nobis ad pro-
 tectionē & gratiæ diuinæ impetrationem profunt.
 Deo in eis misericorditer complente, quod ueraci-
 ter promisit, cum ait: Ego sum Deus tuus fortis, & Exod. 29.
 lotes, uisitans iniquitates filiorū in tertiam et quar-
 tan generationem, eorum qui oderunt me, & faci-
 ens misericordiam in millia ijs, qui diligunt me, et cu-
 stodiunt præcepta mea. Sic defuncti Abrahami me- Gene. 26.
 rita, filio Isaac profecerunt: & Iacob in religione
 nepotes suos erudiens, nomen suum et patrum suo-
 rum super ipsos inuocari edocuit Genes. 48. quod
 et Moyses plena fiducia fecit: Quiescat, inquit, ira
 tua, & esto placabilis super nequitia populi tui: re-
 cordare Abraham, Isaac & Israël seruorum tuo-
 rum, Exodi. 32. Sic propter gratiam, qua apud De-
 um ualuit David uir secundum cor Dei, tota eius po-
 steritas indulgentiā Dei in cōmodum suum persepe
 sensit, 3. Reg. 12. 4. Reg. 19. Esai. 37. Ezech. 14.

De memoria defunctorum in Christo.

Dominus noster Iesus Christus, secundum uolun-
 tatem patris hostiam redimendis hominibus saluta-
 rem seipsum in cruce affigens, utique omnes eos,
 qui hanc uictimam suam saluandis hominibus iam in-

INTERIM.

de ab origine mundi destinata, fide & uoto præuenissent, uel insequentibus temporibus fide eam amplexuri essent, intra seipsum uelut membra sua collegerat, uolens passionis suæ fructum ad omnes pariter qui corporis eius membra unquam effecti essent, peruenire: unde Ecclesia communis huius sacrificij memoriam recolens, omnia sua membra pariter aduocare, nec quenquam eorum excludere debet, qui secundum Domini liberalem uoluntatem, utilitatis huius sacrificij capax existit. Ideoq; quæ admodum prius Sanctorum, ita postea etiam reliquorum Christianorum memoriam circa sacrificium altaris inducit, quos in uera Christi fide decessisse pie credit, de quibus tamen satis certum esse nequit, utrum satis emundati & purgati hinc emigrauerint. Aliam tamen Sanctorum, & aliam aliorum in somno pacis quiescentium, memoriam seruat: Illorum quidem, non ut oremus pro eis, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut uestigijs eorum inhaeremus: Horum uerò, ut communi Domino pro eis supplicemus, quatenus Deus omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis & pacis indulgere dignetur, per Christum dominum nostrum.

August. in
Ioan. tra=
cta. 84.

Eos uerò, qui nos in signo fidei præcesserunt, ut à cōmercio orationum nostrarū nō secludamus, ipsa communionis quam cū omnibus sanctis confitemur, ratio disertè exposcit: quippe qui etiam corporibus

bus

57

INTERIM.

*bus soluti, spiritualibus tamen nexibus nobiscum
coherent, & uno spiritu uelut eiusdem corporis
membra nobis adglutinantur, & uinculo charitatis
connexi adherent nobis, nec mors eos corporalis
ex mystici corporis Christi compage præscindere
aut separare potest.*

*Cum itaque talem orandi formam nobis dominus
insinuauerit, ut nemo pro sua tantum, sed uelut ma-
gnæ communionis ciuis, pro omnium utilitate roga-
re debeat, & per Apostolum præcipiat nos pro in-
uicem orare ut saluemur: magnæ in consortes suos
crudelitatis, & contra dominum detestandæ teme-
ritatis fuerit, si quis à cōmercio orationum nostra-
rum in Christo defunctos exclusit: quod eum fa-
cere nusquam scriptura præcipit, & communionis
spiritualis, quam cum Sanctis omnibus profitemur, ra-
tio diserte uetat.*

Iacob. 5.

*Hanc autem consuetudinem per totã Christi Ec-
clesiam diuulgatam, qua circa altaris sacrificium me-
moria defunctorum adhibetur, ex Apostolica tradi-
tione promanasse, magnis & fide dignis testimonijs
abundè doceri potest. Dionysius Areopagita lib. Ec-
clesiasticæ hierarchiæ ca. 7. de prece super defunctis
faciēda, ex diuinis ducibus, hoc est, apostolis tradi-
tio peruenit ad nos. ubi et totū harū precum ordinē
& rationē luculenter explicat. Precatur, inquit,
oratio illa diuinā clementiā, ut cuncta dimittat per*

E ij huma

INTERIM.

humanam infirmitatem admissa peccata defuncto,
eumq; in luce statuatur & regione uiuorum.

Chryso. ad Chrysostomus ad populum Antiochenum Hom.
pop. hom. 69. Non temere, inquit, ab apostolis hæc sancta sue
69. in pri- runt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur
mo Cor. ho commemoratio. Sciunt enim illis inde multū contin-
mil. 41. gere lucrum: cum enim constiterit populus extensis
manibus, et tremendum proponatur sacrificiū, quo-
modo Deum non exorabimus pro his deprecantes?

In sermo.
de ijs qui
in fide hinc
migrave-
runt.

Damascenus: Apostoli, inquit, discipuli saluato-
ris, qui totius mundi circulum cepere prædicando
uerbum uitæ, quod suis oculis uiderant, in tremen-
dis uitalibusq; sacramentis, memoriam eorum qui fra-
deliter obdormierunt, habendā edixerunt: quod ad
huc firmiter, atq; adeò sine contradictione, obser-
uat Apostolica et catholica ecclesia Christi et Dei,
à finibus usq; ad fines terræ, ab eo tempore usq; in
præsens & in finem mundi usq;.

Augustinus: Neq; negandum est, defunctorum
In Enchiri animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro
dio cap. 10 illis sacrificiū mediatoris offertur, uel eleemosynæ
in questio. in ecclesia fiunt: sed hæc eis profunt, qui, cum uiue-
2. ad Tullit. rent, ut hæc eis prodesse possent, meruerūt, & c. Si-
milia uide apud Epiphanium lib. 3. contra hæreses.
Tertul. ad uxorem de corona militis. Ambrosium
in orat. pro Imperatore Theodosio de excessu fra-
tris. Itē lib. 2. epistolarum ad Faustum. Cyprianū lib.

INTERIM.

I. epist. 9. Bernhardum in Cant. I. sermo. 66.

Post hanc defunctorum memoriam, ubi iam iterum ecclesia communem uiuentium salutem clementi domino commēdauit, reliquæ preces ad dignam sumentem sacrosanctæ Eucharistiæ præparationem referuntur: quæ pars Missæ peculiaris est præsentibus, & sacrosanctam eucharistian sacramentaliter aut saltem spiritualiter sumentibus: nec in commune admodum seruit, cū nemo sicut pro alio baptizari, ita nec sacramentum sumere utiliter possit. Participato tandem sacramento, & cæteris rite peractis, gratiarum actio cuncta (ut ait Augustinus) concludit.

De communionem cum sacrificio iungenda.

Atq; hic expedierit, cū uerissimū illud & singulare sacrificium offertur, ueterem ecclesiæ morem reuocare, quo non solum sacrificans ipse, sed & diaconi & reliqui ecclesiæ ministri, qui diebus solentioribus uelut testes tanti sacrificij & necessariorum ministeriorum coadiutores adhibentur, ut perceptionis corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi participes se præberēt, seria canonū sanctione iuebantur: sed & fideles omnes pro recolenda mortis domini & nostræ redēptionis memoria, ad hoc mediatoris nostri sacrificiū confluentes, sedulis exhortationibus monēdi & excitādi sunt, ut prius

Aug. de
spū et lite
ra cap. II.

De consecra. dist. 2.
ca. peracta
ca. relato,

E iij explorati,

INTERIM:

explorati, cōfessi & absoluti, sacrosanctæ cōmunio-
nis gratiā sumāt, & diuinissimæ eucharistiæ partici-
pationem unā cum sacerdote sedulò & deuotè fre-
quentent.

De cæremonijs & usu sacramentorum.

Cæremoniæ ueteres, quæ sacramento baptisma-
tis adhibentur, retineantur omnes, Exorcismus uide-
licet, abrenūciatio, professio fidei, Chrisma & alia:
pertinēt enim ad efficaciam huius sacramenti adum-
brandam & significandam.

Item in cæremonijs ueteribus, quæ ab ecclesia ca-
tholica adhibētur Missæ, nihil mutādū uidetur. sunt
enim oēs ad id, quod in Missa agitur, cū primis aptæ.

Et quod ad usum huius sacri attinet, debent in sin-
gulis ciuitatibus & in singulis ecclesijs (etiam si in
una ciuitate aut loco plures sint) quæ proprios sacer-
dotes & populi illuc cōuenientis frequentiā habēt,
singulis diebus duæ ad minimū Missæ celebrari: alte-
ra matutina, cui interesse possint homines qui labore
manuū rem querūt, ut conuenientes uel cōmunicent
de eucharistia, uel se Deo piè cōmendēt. Altera uerò
meridianan, cui eodem modo adsint, qui uel com-
municare de eucharistia, uel se Deo commendare
uelint. In pagis autem singulis quibusque domini-
cis & festis diebus singulæ Missæ ad minimum ce-
lebrentur.

INTERIM.

Atq; ut populus ad usum Missarum reuocetur
cōmodē, Concionatores iuxta sententiam de hoc sa-
cro superius explicatam, populum hortari debent,
ut eidem libenter intersit, cui etiam præscribendæ
sunt certæ meditationes, eaq; ad singulas Missæ par-
tes aptæ: et ante præfationem presbyter aut diaco-
nus, si huius copia sit, ostendat uerum Missæ usum,
eumq; populo ex præscripto, de quo etiã conueniat,
cōmēdet pro ratioe de sacro hoc superius explicata.

Canō item, in quo nihil mutetur, habeat etiã suam
succinctam & dilucidam interpretationem, ut inde
presbyteri & functionē officij sui eo melius intelli-
gere, & quod intelligūt, populo explicare possint.

Ceremoniæ reliquæ Sacramentorum, iuxta præ-
scriptum Agendarum ueterum, adhibeantur: in quas
tamen si quid irrepsit, quod causam dare possit su-
perstitioni, tollatur. Altaria, uestes sacerdotum, ua-
sa Ecclesiæ, uexilla, item cruces, candelæ, imagines,
retineantur in Ecclesia. Sed ita tamen, ut sint monu-
mēta: nec cultus latriæ in hoc genus trāsferatur: nec
ad imagines & statuas superstiosē concursus fiat.

Horæ item Canonice, & illa pia psalmodia, quæ
nobis Apostolus ipse commendauit, ex Ecclesijs mi-
nimè tollantur: & ubi sublatæ sunt, restituantur, ma-
ximè uerò de tempore & Dominica & alijs uetu-
stis & solennioribus festis. I. Cor. 14.

Quæ autem de Sanctis adiecta sunt, ad ea quæ in
E iij ueteri

INTERIM.

ueteri de Sanctis communi posita sunt, reuocanda:
& sicubi modum excedunt, corrigenda uidentur.

Vigiliae item & Exequiae mortuorum de more ue-
teris Ecclesiae celebrētur. esset enim immane, in Ec-
clesia nullam illorum memoriam retinere, quasi ani-
mae ipsorum unā cum corporibus interierunt.

Festi item dies ab Ecclesia recepti, retineantur,
si non omnes, tamen praecipui.

Dominicae dies.

Natalis Domini.

Circuncisio Domini:

Epiphania.

Palmarum.

Pascha cum duobus diebus sequentibus.

Ascensio Domini.

Pentecoste cum duobus diebus sequentib.

Corporis Christi.

Festi item dies beatae Mariae uirginis, & sancto-
rum Apostolorum.

Sancti Ioannis Baptistae.

Mariae Magdalene.

Stephani.

Laurentij.

Martini.

Michaëlis.

Omnium Sanctorum, & apud singulas Ecclesias

eorum

65

INTERIM.

eorum sanctorum, qui ibidem singulares patroni habentur, ut in eisdem Sanctorum festis Deum in Sanctis honoremus, nosq; ad imitationem ipsorum excitemur, & consideremus orationibus ipsorum adiuuari & meritis associari.

Dies item Rogationum ante Ascensionem Domini, & Letania in die sancti Marci, & per annum alie consuetae processiones pro ueteri more obseruentur. Similiter in hebdomada sancta & circa reliqua Ecclesie festa debite solennitates adhibeantur, et in uigilia Pasche & Pentecostes aqua Baptismalis per omnes Ecclesias parochiales solenni benedictione preparatur.

Ac cum abstinentia carniū, quæ non abominatio-
tionis, sed temperantiæ causa suscipitur, per se bona
& ad carnem castigandam apta sit, ac etiam publica
utilitas postulet, ut certis temporibus à carnibus ab-
stineamus, cum aliàs pecora ad assiduum carniū
esum sufficere uix possint, mos & institutū ueteris
Ecclesie diebus ieiuniorum, feria sexta & sabbato
à carnibus abstinendo, retineatur. Hanc enim absti-
nentiā Ecclesia ex nulla superstitione suscepit, quæ
à cibis quibusdam certis temporibus abstinet, non
ob ullam ciborum immunditiam (sciens omnia munda
esse mundis, & nihil inquinare hominē quod per
os ingreditur) sed ad edomandam carnem, ut anima
à prauis cupiditatibus & à malis motibus melius hu-

INTERIM.

milietur: eanq; abſtinentiam præcipue diebus ferie
ſextæ & ſabbati indixit, ut homines ad cultû Deo
debitum perſoluendum, ad auditionem uerbi Dei,
& ad ſacroſanctæ Eucharistiæ perceptionem (quæ
olim frequentior diebus dominicis ſeruabatur) bi-
duana abſtinentia præparati, magis idonei & di-
gniores accederent: et ut hac uoluntaria caſtigatio-
ne quaſi cû Chriſto (cuius paſſionis memoria his die-
bus potiſſimum à fidelibus recolitur) carnem ſuam
crucifigerent. Conſueta etiam Eccleſiæ ieiunia ob-
ſeruentur, ſed ita tamen, ut non aſtringantur quos
neceſſitas excuſat: quales ſunt qui grauioribus labo-
ribus exhauriuntur, & peregrinantes, item graui-
de mulieres, lactentes pueri, ſenes, ægroti.

Nec improbetur benediſtio earum rerum, quæ
exorcismis & orationibus ad uſum hominum præ-
parantur, dummodo operationes quæ inde naſcun-
tur, non rebus ipſis, ſed diuinæ uirtuti tribuantur:
& caueatur, ne eadem ad ullum incantationis aut ſu-
perſtitionis genus transferantur.

Et quãquam cum Apoſtolo ſentiendum, eum qui
cælebs eſt, curare quæ ſunt domini, &c. eoq; magis
optandum, multos inueniri clericos, qui cû cœlibes
ſint, uerè etiam contineant: tamen quum multi, qui
miniſterij eccleſiaſtici ſunctiones tenent, iam multis
in locis duxerint uxores, quas à ſe dimittere nolint:
ſuper ea re generalis Concilij ſententia expeſtetur,
cùm

67

INTERIM.

Eum alioqui mutatio in eare, ut nunc sunt tempora, sine graui rerū perturbatione nunc fieri non possit.

Illud tamen negandum non est, etsi coniugium per se honorabile est, iuxta scripturam: eum tamen qui non ducit uxorem, & uerè continet, melius facere, secundum scripturam.

Eadē est ratio usus Eucharistiæ sub utraque specie, cui multi etiam assueuerunt, & ab eo auelli sine graui rerum motu hoc tempore non possunt: & quia Concilium Oecumenicum, cui omnes Imperij Status se submiserunt, proculdubio piam & sollicitam curam adhibebit, ut in hoc casu conscientijs multorum & publicæ tranquillitati optimè consulatur, qui usum utriusq; speciei antehac receperunt, eumq; relinquere nolunt, super ea quoq; re deliberationē & sententiam Oecumenici Concilij expectent.

Hi tamen qui utriusque speciei usum amplectuntur, illam inueteratam sub una specie communicandi consuetudinem reprehendere non debent: nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium Oecumenicum decreuerit.

Et quanquam Sacramētū Eucharistiæ sub utraq; specie institutum est, non tamen sentiendū est, Christum in carne diuidi, contra quam scriptura diuinitus inspirata tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri.

Ac quoniam in Sacramēto Eucharistiæ est uerum
Christi

INTERIM.

Christi corpus, & uerus Christi sanguis, in hoc Sa-
 cramento Christum meritò adorari debere.


Item Sacramētum Eucharistiæ semel uerbo Chri-
 sti consecratum, etiam si asseruetur diutius, tanen
 Sacramentum & corpus & sanguinem Christi re-
 manere donec sumatur.

Quæ uerò ad disciplinam Cleri & populi perti-
 nent, uidentur cum primis necessaria esse ad tollen-
 da ex Ecclesijs scandala, quæ dant magnam causam
 horum temporum perturbationi, id quod res ipsa lo-
 quitur. Itaque si quam Ecclesijs utilem reformatio-
 nem Cæsarea Maestas procurauerit, tantū abest ut
 quisquam sanctæ religionis nostræ & publicæ
 tranquillitatis studiosus, repudiare eam ue-
 lit, ut omnes etiam pro ea citius promo-
 uenda & procuranda, Cæsaream Ma-
 iestatem obnixè & humillimè
 precari debeant.

FINIS.







www.books2ebooks.eu